GVILIELMI HESI
ANTVERPIENSIS
è Societate IESV

EMBLEMATA SACRA DE FIDE, SPE, CHARITATE.

ANTVERPIAE,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXVI.

PERILLVSTRI
ET
REVERENDISSIMO
DOMINO
D. ANTONIO TRIEST
EPISCOPO GANDAVENSI,
DOMINO S. BAVONIS,
COMITI DE EVERGHEM,
DE CONCILIO STATVS BELGICI,
QVEM
GENEROSI SANGVINIS AVITA DIGNITAS
AD GLORIAM,
SED SVA VIRTVS ET MERITA
AD SANCTIORES
IN DVPLICI FLANDRORVM ECCLESIA
SVMMI PASTORIS INFVLAS
EVOCAVIT:
QVEM
SIBI EREPTVM QVAM LVXERE BRVGENSES,
TAM SVIS ADDITVM SACRIS ANTISTITEM
GANDENSES HODIEQVE LÆTANTVR:

ILLI EGO
PATRONO, PRÆSIDI, PATRI
SACRA HAEC
DE FIDE, SPE, CHARITATE
EMBLEMATA,
FIDE SIMPLICI,
ET SPE NON ALIA QVAM AMORIS,
VENERABVNDVS INSCRIBO.

NON *mea, felices quòd ament optentq; Poëta,*
Audet inoffensos Musa subire lares,
Tecum vbi sacrarum vigilans Sapientia legum
Æqualem titulis Te facit esse tuis;
Et tamen aspiciens, oculósque legentis adorans,
Vnum oculum certâ SPERAT AMATQVE FIDE.
Vnum oculum concede precor. Licet ardua lustret,
Sol humiles oculo spectat amante casas.

Quin

Quin etiam pronas ſua lumina mittit in vndas;
Et, niſi fallor, in his quo recreetur habet.
Certè ingens à Sole decor conceditur illis;
Sole renidentes ire videntur aquæ.
Sol oculus mihi veſter erit, qui fronte benignâ
Emicat, & radio dexter amante fauet.
Hoc ego ſi videar (quid ſi videamur vtroque?)
Auctor SPERATI FIDVS AMORIS *ero.*

Guilielmus Heſius *S. I.*

ILLI EGO
PATRONO, PRÆSIDI, PATRI
SACRA HAEC
DE FIDE, SPE, CHARITATE
EMBLEMATA,

FIDE SIMPLICI,

ET SPE NON ALIA QVAM AMORIS,

VENERABVNDVS INSCRIBO.

NON *mea, felices quòd ament optentq́; Poëta,*
Audet inoffensos Musa subire lares,
Tecum vbi sacrarum vigilans Sapientia legum
Æqualem titulis Te facit esse tuis;
Et tamen aspiciens, oculósque legentis adorans,
Vnum oculum certâ SPERAT AMATQVE FIDE.
Vnum oculum concede precor. Licet ardua lustret,
Sol humiles oculo spectat amante casas.

Quin

Quin etiam pronas sua lumina mittit in vndas;
Et, nisi fallor, in his quo recreetur habet.
Certè ingens à Sole decor conceditur illis;
Sole renidentes ire videntur aquæ.
Sol oculus mihi vester erit, qui fronte benignâ
Emicat, & radio dexter amante fauet.
Hoc ego si videar (quid si videamur vtroque?)
Auctor SPERATI FIDVS AMORIS *ero.*

Guilielmus Hesius *S. I.*

Videmus nunc per ſpeculum
in Ænigmate,
tunc autem Facie ad Faciem.
1. *Corinth.* 13.



— *Benè conueniunt* —
FIDES, SPES, CHARITAS,
tria hæc.
1. *Corinth.* 13.

IN


IN GENIVM HVNC EMBLEMATICVM

Auctor ad Lectorem.

Pagina te nostri fugiat ne prima libelli,
Viere pratentâ, Lector amice, face.
Fixa virente solo iacet Anchora: Chorda iacenti
Nectitur: Igne leui Chorda suprema micat.
Chorda Fidem, Anchora Spem, summum notat Ignis Amorem.
Hac tria te facilis vult docuisse liber.
Quóque animis eadem stent fixa tenaciter imis
Innocuum picta frontis acumen habent.
Stent animis infixa precor! Sed quis Puer ille
Candidus? ille Puer lacteus? ille suâ
Simplicitate placens, Zephyris admissa secundis
Vitta cui teneram stringit amatáque latus?
Quis puer ille, quis est, prono cui subdita lapsu
Fulcit inoffensos Anchora tuta pedes?
Quem neque Chorda ligat, nec adurit amabilis Ignis;
Ipse licet Chordâ ludat & Igne Puer?
Ille, Fides cui, Spes, & Amor benè conuenit vni,
Quis puer est? Animus sit precor ille tuus.

INCOMPREHENSAE DIVINITATIS
VNI ET INDIVIDVÆ
TRINITATI
SACRVM.

Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo: PATER, VERBVM, & SPIRITVS SANCTVS: & hi tres vnum ſunt. 1. *Ioan.* 5.



— Summus in Tribus
Subſiſtit Vnus. ———

Procul profani: qui profanus inceſſu
Venit huc ſuperbo, vulneratus hinc ille
Prorepit: humilem Vis amica non lædet.
Minatur alto cuſpis illa, non plano.

D. O. M.

D. O. M.

quaquauersum

VNI ET TRINO:

in quo
quemadmodum naturæ subsistens Vnitas
semper eminet,
sic eminenti coniuncta semper subiicitur
Trinitas Personarum:
Vnitas quæ à Trinitate non dissidet,
Trinitas quæ ab Vnitate non dissentit:
adeò
vt si quemuis ex Tribus extulero,
Vnum videam:
si subiecero, communem iterùm ex Tribus
aliquem deprehendam:
Tibi ego
VNI-TRINO TRINO-VNI,
tam noto per FIDEM,
quàm incognito per naturam;
tam proprio per SPEM,
quàm alieno per debitum;
tam amabili per CHARITATEM,
quàm terribili per potentiam,

FIDEM, SPEM, CHARITATEM,
Tria hæc,
Voto Mentis Vno,
Adoratione Trinâ,
Veneratione ſempiternâ,
perquàm demiſſiſſimè ſubmitto
Creaturæ minimæ
Nomen exiguum

QVo res cumq; cadat nequidquam prodita motu,
In quemcumq; ruat verſa reuerſa modum;
In tribus vnus Apex ſemper ſubſiſtet, & Vnum
Vertice ſignabit ſumma notante Deum.
Tres ſimul æquales ſpatio ſubduntur in æquo:
Subditur, & ſummus quilibet eſſe poteſt.
Stans medius quandoq; Tribus ſupereminet Vnus:
Eminet, & reliquis par tamen eſſe poteſt.
Si pateris, ſi parua licet componere tanto,
Indicat immenſum machina parua Deum.
Verte tuum, quocumque voles mens anxia motu,
Sub, ſuper, extrà, intrà volue, reuolue Deum:
E Tribus aſſurget ſemper ſpectabilis Vnus;
Subq; Vno Trinus qui videatur, erit.
Trinus & vnus vbique Deus tibi ſiſtitur Vnus,
Inq; Vno Trinus ſiſtitur ecce Liber.

Ille,

Ille, Fide, Spe & Amore suo qui trinus haberi,
Vnus ab ingenuâ simplicitate potest.
I Liber: è Tribus hic saltem tibi porriget Vnus
Submissam positâ conditione manum.
Si dubitet, prætende Fidem: Spes sistet euntem:
Vltimus auersum conciliabit Amor.
Sin', læsâ pœnas pro Maiestate reposcet:
I tamen, & Trino disce sub ense mori.

PROLVSIO AVCTORIS:

in quâ agitur
quâ occasione nati & editi sint hi libelli;
& quo modo debeant, si quis quid
interroget, respondere.

AVde aliquid, populoq; tuos permitte libellos;
Non decet innocuum perdat vt auctor opus.
Nulla pudenda Fides: Spes *se, licet abdita, prodit:*
Non benè conceptus dissimulatur Amor.
Hæc vox vna fuit, nec vox fuit vnius vna:
Fallor, an & rigidi Iudicis illa fuit?
Credere prima Fides *iussit non vana locutos:*
Credula Spes *iterùm credere iussit idem.*
Deniq; post omnes (& quis non credat Amori*?)*
Credulus hoc etiam credere iussit Amor.
Credidimus: nunc ergo mei, nunc ite libelli;
Ite, sed adductam ne violate Fidem.
Ite; sed & Fidum *per vos* Speremus Amorem,
Quem mihi promissum Censor amicus habet.

Ite: sed in populo si fortè quis obuius omni,
Qui vos? quâve domo sitis, & vnde? roget;
Si quis erit (nouistis enim, & nouisse potestis,
Vos priùs ignoti corticis esse libros)
Si quis erit, velut infaustis qui territus vmbris,
Res noua per Musas, clamet, Apollineas;
Si quis & ad numeros, & signa loquacia fixus,
Plurima iam super his iamq; rogare velit;
Dicite: Cùm primùm phaleris Emblema relictis
Cœpit inornatâ simplicitate coli;
Quemq; merebatur placido candore fauorem,
Ingenio pretium conciliante tulit;
Nos humiles facilesq; nouus tunc edidit auctor:
Iam vetus ille, nouus qui fuit, esse potest.
Nam, benè si numeres, benè quos numerauimus annos,
Annus ab exortu iam duodenus abit.
Sed tamen obscuri spatiis adoleuimus istis:
Viximus in patriis abdita turba focis;
Expertes hiemis, tempestatumq; sequentum,
Quas patitur medio publica vita die.
Viximus in tenebris, nisi quòd nonnulla fuere
Inter amicorum fortè relicta manus;
Musarumq; sacris desigens postibus auctor
Siuit ad emeritas pauca manere fores.
Illa subinde alias tamen hinc quoque rapta per vmbras,
Auctorem propè sunt iussa negare suum.
Fecissentq; vtinam! sæpè illa incognita nobis
Transtulit in mores hospita charta nouos.
Sæpè peregrino vestita licenter amictu,
Immeriti nomen prostituêre patris.

Si

Si quod erat quandoque vagum & sine nomine monstrum,
Illius hoc mendax fama ferebat opus.
Vt sit cuique suum, ne nostra aliena putentur,
Edita vel nostris stent aliena notis;
Hæc tibi, nec falsis (nisi fallimur) edita chartis,
Paucula de multis denique Lector habe.
Fas fuerat, fueratq; etiam quandoque necesse,
Plurima, iudicio pauca probante, premi.
Fas aliter fortasse loqui, quàm fortè loquemur
Nos, quibus vna fuit cura docenda loqui:
Nempe sed ignouit iustis erroribus auctor;
Atque animi voluit nos meminisse sui.
Et sumus, & semper memores testabimur vnum:
Nec malè, nec nimiùm nos benè velle loqui.
Certum velle loqui, sanctúmque in imagine Verum;
Nolle parum solidis extenuare modis.
Fortè subinde fuit; sed enim fuit vnus & alter
Flebilis immodicus cultor amansq; lyræ;
Fortè fuit qui nos, absens tamen, vsus amicis,
Nescio quid rigido diceret ore loqui.
Et fuit auctori cuperet qui dicere nostro:
Sume magis faciles, sume Poëta modos.
Numquid vt ipse canam modulatis carmina neruis,
Materiesq; elegis fiat inepta meis?
Non patiatur Amor, *non* Spes *generosior illud;*
Non sinat æternis cantibus apta Fides.
Claudicet ambiguo saliens pede, murmuret ore
Musa per errores languida facta suos.
Claudicet illa, Puer cui claudus semper in ore est,
Fabuláque immeritam non habitura fidem.

Hæc ego tum solis: sed enim quæ diximus illic,
An decuit verbis cuncta referre meis?
Ite, silete mei, Musásque timete libelli:
Quo feriant, quamquam sexus inermis, habent.
Ite, tacete mei. si nos super vrgeat vllus,
Et roget an numeris sint sua sensa tuis;
Do veniam. licet hic, sed amicâ dicere voce:
Plus verbis (nisi si fallimur) intus habent.
Est adeò, vt quoties Emblema loquetur, iisdem
Tunc quoque credantur vocibus ora loqui;
Quæ superimposita velantur imagine formæ,
Perspicuâque animam simplicitate tegunt.
Excusate moras, si quis super vlla requirat:
Non faciunt animo plura roganda meo.
Quin etiam fortassis erit prudentior vnus,
Omnia qui potiùs vos tacuisse velit.
Sunt dicta, & sint dicta. Mei nunc ite libelli,
Ite, metúmque inter Spemq́;, *probate* Fidem.

L I.

LIBER I.

EMBLEMATVM DE FIDE.


IN LIBRVM I. EMBLEMATVM DE FIDE PROGRAMMA.

TEq; tuamq; fidem, nostros quem fortè libellos
Iuuerit innocuâ detinuisse manu.
Non mea luserunt teneræ mihi carmina Musæ,
Ad citharámve leues præcinuere Deæ:
Grandior illa Fides *cecinit, numerisq; solutum*
Iussit inornato fortiùs ore loqui.
Verba (nec inuideo) petulanter inania cantent,
Quêis dederit mollis plectra fidemq; Puer.
Plectra fidemq; meam cælo tulit, & dedit ingens
Verbum Diuini Vox Animusq; Patris.
Ille graui numero, grauioribus ille coëgit
Verba sonare, fide non leuiora, modis.
Accipio reddoq; fidem. Permittite Musæ,
Vt mea dent solidam plectra modiq; fidem.

IM-

IMMENSAE ET OMNIVM CAPACISSIMÆ DEI PATRIS DIVINITATI S.

In virtute Dei custodimini per Fidem. 1. *Pet.* 1.



Omnia in vno, & in omnibus vnus.

Qui cuncta claudit ambituq́; comprendit,
Cunctis tenetur clausus atque comprensus.
Par semper, idem semper, vnus est semper.
Summo tenentur cuncta, summus in cunctis:
Sed ille vel sic comprobatur immensus.
Summo teneri qui recusat inscriptus,
Summum nec ille continebit inscriptum.

DEO

DEO

PATRI OMNIVM,

OMNIVM

CONDITORI, CONSERVATORI, CVSTODI;

OMNIVM

IPSIVSQ; ADEO INCOMPREHENSIBILITER INSCRIPTAE

TRINITATIS

PRINCIPIO ET FINI

INDEFINIBILI, INTERMINABILI, IMMENSO,

SVPRA OMNEM

FINEM, TERMINVM, MENSVRAM;

QVEM

SOLA IAM FIDES AMPLECTITVR;

QVANDO

RATIO ET NATVRA NON CAPIT;

EMBLEMATICAM HANCCE

FIDEM,

CVM

CVM ÆMVLO DIVINITATIS

CIRCVLO,

FIDE OPTIMA

SVPPLICABVNDVS

SACRAM FACIO.

Credo equidem, nec vana fides, neque limite claudi,
Orbe nec in toto posse latere Deum.
Est tamen, est in quo spectabile Numen adores;
Circulus immensi Numinis ora tegit.
Ille, licet modico, totum tamen occupat orbe,
Regula quod numero iusta modóque facit.
Huc coëunt inscripta, huc circumscripta feruntur
Omnia; in hunc finem denique cuncta cadunt.
Sed finem sine fine: cui, licet area semper
Æqua magis socium iungat amétque latus;
Non priùs admenso tamen exæquabitur orbe,
Quàm ferat innumeros illa, vel illa sinus.
Mensorum labor immensus, Spes vna Fidésque
Circulus his (pietas ni vetet) esse potest.
Certè Amor est; sed Amor tanto non cognitus æuo,
Charus Amor, nimij caussa laboris Amor.
Hunc pia vota petunt, hunc docta negotia quærunt,
Hunc vocat ad numeros regula plana suos:
Vota tamen frustrà, frustráque negotia quærunt,
Nequidquam ad numeros regula plana vocat.


Men-

Mensuram fugit immensus. Metam vnica tanto
Extremam spatio non negat esse Fides.
Sufficiat nunc illa Fides. Rem denique factam
Summa dies, radio sed meliore dabit.
Tu quoque magne Deus tantis quem amplexibus vnum
Nulla capit cæli machina, nulla domus;
Cuncta tuo quacumque patent complecteris orbe:
Cuncta in te finem principiumq; cadunt.
Maxima concludis; minimo concluderis idem.
Nusquam & vbique tibi par similisq; lates.
Nostra adeò mens, obscuris quia clausa sub vmbris,
Cogitur adducto delituisse sinu,
Absit vt immensi mensuram cogitet orbis,
Æqualémve Deo ponat vt illa modum.
Olim tempus erit (ô tempus! amabile tempus!
Quod feret extremo longior hora die)
Tempus erit, quo contractis educta cauernis
Incipiat cælo liberiore frui;
Æternumq; immane sinu complexa capaci,
Ipsa Deo, atque illi par sit vt ipse Deus.
Tunc ego te (mea vota tuo Pater omine firma)
Tunc ego te, tantus sis licet, ipse meo
Immensum te corde feram, mediisq; receptum
Sedibus hac potero mente tenere Deum.
Intereà Te casta Fides speculabitur Vnum;
Te capiet, solitâ sed sine lege, Fides.

Qui

Qui incredulus est, non videbit vitam.
Ioan. 3.

EMBLEMA I.



— *Vis vitam tollere? tolle Fidem.*

Sententia Emblematis 1.

Quod corpori Mens viuida, hoc Fides menti
Animoſa confert. Mente corpus ablatâ
Fit inepta moles. Perditâ Fide, mens eſt
Inutilis. Iuuabit Animus infidus?
Tum nempe, corpus cùm iuuabit extinctum.

Mira poſſe & ſolere animam Fide ſuâ præditam; at nihil penitus valere eam ſuâ Fide deſtitutam.

ILla ego quæ quondam, dum vita Fidesque manebant,
(O mihi quàm dubiâ credita vita fide!)
Illa ego quæ vigiles potui ſopire dolores,
Luctantesque Erebi conciliare metus:

Cuius

Cuius ad auditos vmbrarum examina cantus,
Sepositique solo contremuere lares:
Cuius ab ore leues didicere silentia venti,
Et querulæ strepitum continuistis aquæ:
Ad quam propensi flexere cacumina montes,
Et leuis attonitâ mole pependit humus:
Illa ego nunc sine voce meos narrare dolores,
Et vacuo cogor murmure damna queri.
Nox erat: obscuros habitabam sola penates,
Exul ab orbe meo, sedibus à patriis
Extorris, proscripta; manus cùm subdola furtim
Strinxit in exitium tela parata meum.
Strinxit; & ecce fidem puncto mihi sustulit vno.
O ego tunc quoties sum mihi visa mori!
Debueras placidæ manus ô nimis inuida vitæ,
Debueras vterum prima fidisse meum.
Debueras, costâ circum quæ candet eburnâ,
Emeritam flammâ corripuisse domum.
Nam quid ego, ingenuis quid adhuc feror integra membris,
Quid frustrà casto dicor eburna sinu,
Quid vocor humanæ lenimen amabile vitæ,
Delicium generis quid vocor vna mei,
Si violenta Fidem manus abstulit? hanc mihi redde,
Et potero Domino viua placere meo;
Viua, vel inuitum, potero placare Tonantem.
Tanti est amissam rursus habere Fidem.

Fides

Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. ad Heb. 11.

EMBLEMA II.



—— *Videt quod non videt.*

Spectare cælum ſi quis optat & ſolem,
Spectare motus ſi quis optat aſtrorum,
Auerſus vmbram ſpectet. Hac Fides gaudet.

Oculis

Oculis abuti neſcit ille, vel falli,
Oculis nec vti, nec videre, qui curat
Niſi lucis vmbras; his Fidelis agnoſcit,
Quâ parte cæli ſol æternus incedat.

In vmbra ſua contemplatione Fideles & mira & certa conſpicere.

NOn ego fallacem temerarius intuor vmbram,
Vna licet viſus occupet vmbra meos.
Non nihil hîc video, quamquam nihil eſſe putatur
Quæ iacet ante meos lux ſine luce pedes.
Quod video, nihil eſt; video tamen omnia, nec me
Suppoſitis error ludit imaginibus.
Stultus adhuc ego rebar humo procedere lucem,
Quam varij genitrix terra coloris habet:
Nunc rutilum docet vmbra polo deſcendere lumen,
Auctoremque mei luminis eſſe Deum.
Credideram quandoq; aliquid me grandius eſſe,
Quàm capiat modico corpus inane ſinu:
Me modò quis fuerim, quis ſim, quis deinde futurus,
Erudit ad ſenos vmbra redacta pedes.
Vmbra diem docet occiduum, immemoremque ſepulcri
Me licet erectum non ſinit eſſe mei.
Vmbra diem docet exortum, monſtratq; ſepulcro
Me licet abiectum poſſe redire meo.

Fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. ad Heb. 11.

EMBLEMA II.



——— *Videt quod non videt.*

Spectare cælum ſi quis optat & ſolem,
Spectare motus ſi quis optat aſtrorum,
Auerſus vmbram ſpectet. Hac Fides gaudet.

Oculis

Oculis abuti nescit ille, vel falli,
Oculis nec vti, nec videre, qui curat
Nisi lucis vmbras; his Fidelis agnoscit,
Quâ parte cæli sol æternus incedat.

In vmbra sua contemplatione Fideles & mira & certa conspicere.

NOn ego fallacem temerarius intuor vmbram,
Vna licet visus occupet vmbra meos.
Non nihil hîc video, quamquam nihil esse putatur
Quæ iacet ante meos lux sine luce pedes.
Quod video, nihil est; video tamen omnia, nec me
Suppositis error ludit imaginibus.
Stultus adhuc ego rebar humo procedere lucem,
Quam varij genitrix terra coloris habet:
Nunc rutilum docet vmbra polo descendere lumen,
Auctoremque mei luminis esse Deum.
Credideram quandoq; aliquid me grandius esse,
Quàm capiat modico corpus inane sinu:
Me modò quis fuerim, quis sim, quis deinde futurus,
Erudit ad senos vmbra redacta pedes.
Vmbra diem docet occiduum, immemoremque sepulcri
Me licet erectum non sinit esse mei.
Vmbra diem docet exortum, monstratq; sepulcro
Me licet abiectum posse redire meo.

Nempe cadente die longam quoque ſternor in vmbram;
Sum breuis vmbra, poli ſumma petente die.
Hæc mihi ſi quiſquam tabulâ ſignabit in vllâ,
Hæc facili ſi quis picta colore dabit;
Si quis oberrantem ſpatioſa volumina ſolem,
Surgentem cælo præcipitemque diem;
Si quiſquam mihi me talem depinget Apelles,
Qualem non dubiâ iam facit vmbra Fide;
Damnabo noctemq; meam,noctiſque tenebras,
Vmbra nec obtutus fallet opaca meos.
At ſi nulla poteſt decurſum ſolis imago,
Nulla poteſt caſus ferre tabella meos;
Spectantem nihil in tenebris, vmbraſq; tuentem
Credite me certâ digna videre Fide.

Sine

Sine Fide impossibile est placere Deo.
ad Hebr. 11.

EMBLEMA III.



Quò reliqua, si me deficit vna Fides?

Virtutis ipse, quo süauius nil est,
Concentus est inanis,vna si desit
Fides canenti. Neruus ipse virtutum
Queriturque deficitque, nec placet cuiquam,
Si prima cantum quæ reducit errantem,
Abrupta vel detrita sit Fides: non sit
Hæc læta,lætum dummodò edat accentum.


Donec fundamentali Fide caruerit Anima, nulla eam gratiâ iuuari posse, vt concentum edat amabilem virtutum.

VT lyra de cælo (si quæ tamen addita cælo est)
In digitosque tuos lapsa manusque foret;

Concentuque sacri iam dudum prædita Mundi
Grande aliquid magno proderet ingenio;
Hanc tamen vna Fides si falleret, ordine nullo
Damnaret pauidas murmur inane manus.
Vrgeat hanc Phœbus, vel Apolline doctior ipso,
Cogat Iëssæus promere vota puer;
Vrgeat ipse Deus; tanto tamen incita plectro,
Non nisi deceptos promet hiulca modos.
Astra canat: canet incertis errantia cælis;
Concinet ambiguum, si canat, illa Deum.
Nil certi solidive ferens, titubantibus aures,
Sollicitisque animum distrahet articulis.
Nempe domus solido nisi condita fundamento,
Sit licet ipsa sibi firma, tamen dubiis
Hinc atq; inde tremens impulsibus errat, & ecce
Labitur attonito pondus inane solo.
Ipsa quidem fixas inter certissima flammas
Thessala nunc cælo statque micatque ratis;
Olim visa tamen ferri ancipites super vndas,
Cùm tremeret pauido non satis æqua mari.
Quod fundamento caret, immutabile non est:
Instabile est, fluxum, debile, inane, vagum est.
Tolle Fidem, quæ sola regit nutuque gubernat
Omnia, inane nihil cetera turba canet.
Tolle Fidem, iam nullus erit virtutibus ordo,
Obstrepet incertis illa vel illa modis;
Quique placere Deo potuit concentus, habebit
Quo queat offenso displicuisse Deo.
Vsque adeò, licet obscuro sonet ardua cantu,
Hac sine, Vox Superis nulla placere potest.

In tenebris lucet. Ioan. 1.

EMBLEMA IV.



——— *Punctum directa per vnum*
Nocte micat, solemque Fides testatur obortum.

Amica noctis, noctis hospes, vmbrarum
Secura custos lucidum Fides odit,
Tenebrisque delectatur. inter horrores
Immota, solem certa spectat absentem,
Solemque monstrat. Qui videre vult solem,
Fidei expedito ne recedat à puncto.

In obscuro clausa mens Fidei lumen à Deo petat, vt impetret.


ILle quidem superos formosus obambulat orbes,
Aeternumque refert sol meus ore diem;

Noctem ego, sed patiens, caligantesque tenebras,
Cogor in obscurâ fata timere domo.
O cælum! ô mundi iubar immortale sereni!
O patria! ô vigili templa decora face!
Quid iuuat hâc vestrâ duxisse ab origine vitam,
Si mea nox cæco me iubet orbe mori?
Si neq; lux, neque luce fluens tenuissimus almâ
Ore potest radius commoriente capi?
Quis det vt exiguo saltem data rimula puncto
Carceris occlusas diuidat vna fores!
Quaque viam dederit casúsve Deúsve subintret
Nuntia ab æterno lux mihi missa die!
Illa, poli quâ parte meo sol ardeat igne,
Exiguâ saltem pingeret in tabulâ;
Et caligantes inter, mera somnia, noctes
Veri aliquid radio pingeret exiguo.
Dum precor, ecce fores puncto transuerberat vno,
Certaque in ambiguâ lux mihi nocte micat;
Ac veluti stuppâ si profluxisset ab igneâ,
Ducitur æthereâ regula tensa Fide.
O si docta manus faciles contingere neruos
Cogeret hanc fido pollice pauca loqui;
Extremisque sonum digitis tentaret amicum!
Murmure quo, quantis plausibus exiliens,
Quale melos, animis quàm certa oracula nostris
Iesseâ meliùs proderet illa Fide?
Certè etiam modò, muta licet, tenebrisque sepulta,
Indicat æternum non procul esse diem.

Vis

Vis scire, ô homo inanis, quoniam Fides sine operibus mortua est? Iac. 2.

EMBLEMA V.



Sola Fides est vana Fides. ———

Auditis? & siletis, & gradu statis
Elementa fixo? sola numquid inuitat
Fides? Quid illud? non mouentur ad vocem
Canentis vllam. Terra perstat immota,
Nil sentit æther. Audiat Fidem hanc sano
Rationis vsu docta mens? Fidem hæc seruet
Quam nullus audit? quāq; nullus agnoscit,
Deus ipse Rector siderum & sacri cantus
Spectare cupiat, & probare cantantem?

Nullis vmquam nisi insanis & rudibus hominibus solam Fidem placuisse, contra omnem vsum sensumque Sanctorum.

SAncta per attonitum suspensis fluctibus æquor
  Cùm fugerent hostes agmina Niliacos;
Iamque pedem summâ posuissent vltima terrâ,
  Hausisset refluum castra secuta mare;
Ipse Deo primus cecinit sua carmina Moses:
  Non vnâ cecinit sed tamen illa Fide.
Sustentare minas, rabiemque Saülis iniquam
  Iesseus potuit sæpè domare puer:
Et potuit sine vi, potuit certamine plectri:
  Non vnâ potuit sed tamen illa Fide.
Omnia tù poteris? tibi solus, vt omnia desint,
  Astra Deumque vnâ conciliare Fide?
Hinc solam quicumque Fidem mihi vendis, opacas
  Hinc aliò in siluas, quò vocat error, abi.
Hic aliquis fortasse, rudis de stirpe coloni,
  Deque laborato rure reuersus Onos;
Vel similis quis fortè, Fidem sectabitur istam,
  Et volet in numeros claudus abire tuos.
Hic aliquis fortasse procans Amaryllida Mopsus
  Teque tuamque volet iunctus habere Fidem.
Fortè superueniens Nisâ comitante Menalcas,
  Illa, canet, nobis, illa sequenda Fides.
Fòrtè chorum claudet Galatea Palæmonis istum,
  Et socio, dicet, Nostra sit illa, viro.

Fortunati

Fortunati omnes; fortunatiſſimus vnus,
Cuius amat ſolam tanta caterua Fidem.
Nos,quorum à cælis didicere canentibus aures,
Quàm malè ſola Fides, quàm benè iuncta ſonet;
Teque tuamque Fidem proſcribimus: hinc age, mundo
Cede; Fides nobis non facit vna Fidem.

Nullis vmquam nisi insanis & rudibus hominibus solam Fidem placuisse, contra omnem vsum sensumque Sanctorum.


SAncta per attonitum suspensis fluctibus æquor
Cùm fugerent hostes agmina Niliacos;
Iamque pedem summâ posuissent vltima terrâ,
Hausisset refluum castra secuta mare;
Ipse Deo primus cecinit sua carmina Moses:
Non vnâ cecinit sed tamen illa Fide.
Sustentare minas, rabiemque Saülis iniquam
Iessæus potuit sæpè domare puer:
Et potuit sine vi, potuit certamine plectri:
Non vnâ potuit sed tamen illa Fide.
Omnia tû poteris? tibi solus, vt omnia desint,
Astra Deumque vnâ conciliare Fide?
Hinc solam quicumque Fidem mihi vendis, opacas
Hinc aliò in siluas, quò vocat error, abi.
Hic aliquis fortasse, rudis de stirpe coloni,
Deque laborato rure reuersus Onos;
Vel similis quis fortè, Fidem sectabitur istam,
Et volet in numeros claudus abire tuos.
Hic aliquis fortasse procans Amaryllida Mopsus
Teque tuamque volet iunctus habere Fidem.
Fortè superueniens Nisâ comitante Menalcas,
Illa, canet, nobis, illa sequenda Fides.
Fortè chorum claudet Galatea Palæmonis istum,
Et socio, dicet, Nostra sit illa, viro.

Fortunati

Fortunati omnes; fortunatissimus vnus,
Cuius amat solam tanta caterua Fidem.
Nos,quorum à cælis didicere canentibus aures,
Quàm malè sola Fides, quàm benè iuncta sonet;
Teque tuamque Fidem proscribimus: hinc age, mundo
Cede; Fides nobis non facit vna Fidem.

Per Fidem paratam reuelari in tempore nouissimo. 1. Pet. 1.

EMBLEMA VI.



——— *Obscura lux oculos iuuat,*
Grauat expedita. ———

Sine luce nil videtur: ipsa lux odit
Tamen videri. Lux recepta post velum
Oculis negetur, non negetur obiectis,
Et exhibebit quod videre non possis
Nisi face sic latente. Figat obtutum
Ales profundæ noctis hospes in solem:
Mihi sol, supremus ille ductor astrorum,

Oculis

Oculis videndus offeratur auersis
A luce tantâ. ———

Satis & satius esse mortali, quòd debili obtutu, debile à Fide lumen excipiat.

FAs sit vt ætheriæ latitãtem in lumine mentes
  Obtutu capiant non fugiente Deum;
Aeternumque ferant oculis melioribus ignem,
  Quas volucres summo constat adesse Ioui.
Nobis, quos dubiâ sub nube, micantibus astris,
  Noctis amica parens edidit, exiguum
Sufficiat spectare diem, velumque tueri,
  Candida quo cæli condidit ora Fides.
O quantò meliùs, quantoque süauiùs ignem
  Credit inoffensis paruula fax oculis
Lapsa per obscurũ, quàm quæ per inane profusa
  Obiicit indomitum luce vibrante iubar!
Hæc oculos, ferit: illa iuuat, prohibetque videri
  Quem refugit mollis pupula ferre diem;
Et tamen ardentes, quantũ satis, obiicit vmbras:
  Quod nimium est, oculis eripit illa tuis.
Vtere sorte tuâ Mortalis, & vtere flammâ
  Quam tegit illustri prouida nube Fides:
Neu cupias, cælo radios qui spargit aperto,
  Arsurum nudâ fronte videre diem.
Sol sine nube nocet; sub nube benigniùs vrit,
  Seque oculo patitur debiliore capi.
Ille parit lacrymas, lacrymas hic siccat obortas.
  Flere cupis? plenum perge videre diem:
Sin cupias gaudere, diem speculare sub vmbris.
  Tuta sub vmbrosâ gaudia fronde latent.

Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsâ. Iac. 2.

EMBLEMA VII.



Muta Fides nisi mota.

Quid otiosam prædicans Fidem iactas?
Digito quid illam nil agente demonstrans,
Numerisque cunctis nutibusque distinctam
Et absolutam venditas? Fides pro se
Aliquando causam dicat; & suo tandem
Opere ipsa contestetur esse se talem.
Talem esse nisi se dicat ipsa, non credam.

Inter

Inter ærumnas vitæ præſentis fruſtrà exſpectari conſolationem & meritum à Fide, quam operc ipſo non exerceas.

PAruus eram, & viduos lacrymis ſolabar amores:
Iuſſerat hoc vitâ functus vterque parens.
Ecce die medio, niſi nox me clara fefellit,
Neſcio quis pauidos conſtitit ante pedes;
Prætendenſq; manu citharæ ſeptemplicis orbem,
Sume, ait, hac poteris non miſer eſſe Fide.
Illa feret rigido ſolamen dulce labori:
Illa graues blandè concinet ad gemitus.
Illa nimis longas modulando colliget horas,
Miſcebitque tuis carmina cum lacrymis.
Dixerat: ereptuſque oculis mortalibus, ipſum
Se mihi non dubio prodidit ore Deum.
Agnouique Deum; niſi quòd promiſſa loquentis
Hactenus à nullâ ſunt rata facta Fide.
Incipe, dicebam, conceſſaque carmina funde
Caſta Fides, vitæ pignus amorque meæ.
Ecce fluunt lacrymæ, pulſuque canentibus apto
Cor mihi dimenſos emicat ad numeros.
Incipe cara Fides nimios mulcere dolores;
Incipe ſollicitos voce leuare metus.
Incipe. nequidquam ſed verba precantia dixi;
Nequidquam tacitam pronior ad citharam,
Si qua vel obſcuro reſonarent carmina plauſu,
Præſentem volui ſemper habere Fidem.
Hactenus illa ſilet, nec adhuc vel carmine primo
Quæ ſit, & vnde mihi venerit, auſa loqui eſt.


Intereà primis ego fortunatus ab annis,
Hei mihi ! fortunâ ſed fugiente vocor.
Ipſe mei ſolus, non auxiliantibus vllis,
Impoſitum cogor ferre doloris onus.
Nec tamen audita eſt gemitu commota vel vno
Illa Fides animi funera tanta queri.
Muta Fides ! quid ab hac tandem ſperare iubebas,
Siue Deus cæli, ſeu Deus orbis eras ?
Conſumpta eſt medicina malo ; patientia victa eſt.
Durior ipſa meo iam mora facta malo eſt.
I procul, I proiecta Fides. Audiuimus ? an fors
Auribus illuſit murmur inane meis ?
Audiimus : ſonat ipſa Fides , primoque ſub ictu
Reddit ad inſanas verba negata preces.
Neſciui te meque Fides. Diſcedite luctus :
Mota manus mutam non ſinit eſſe Fidem.

Non

Non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitiâ inenarrabili.

1. Petri 1.

EMBLEMA VIII.



Si videat, minùs illa canat. —

Lætetur oculis curiosus argutis:
Oculis Fidelis non dolebit amissis;
Quin plura sese nosse, quàm putet quisquam,
Tibi quà canendo, quà loquendo monstrabit,
Audire si vis, quæ videre non debes.

Fidelium

Fidelium in exsilio suo tenebras, non doloris esse vel timoris, sed gaudij & securitatis argumenta.

CVm domus Isacidum, Solymæ lacrymabile funus
Duxisset campos exul in Assyrios;
Iamque sedens tumidas dominæ Babylonis ad vndas
Iussa foret patriâ fundere vota prece;
O Patria! vt sine te! (iubeat licet ipse Tyrannus)
Te sine festa canam carmina? Cum gemitu
Dixerat hæc; summas lacrymæ tenuere querelas:
Altior à largis fletibus vnda tumet.
Intereà dominis melior crudelibus arbor
Plurima, submissis fixa cacuminibus,
Organa muta Fidemque tenet: ferale tropæum
Quod patrius viduo fecit amore dolor.
Lingua silet, sonat infaustas vox vna per vmbras,
Quam facit impulsâ ventus & aura Fide.
Non ego sic; licet à patriis quoque sedibus exul
Cæca catenati carceris antra colam.
Ipsa oculos nimio licet obscurauerit igne
Quæ me captiuam fecerat antè manus;
Canto tamen meliùs, quàm si non capta viderem
Inter odoratum tecta paterna nemus.
Ipsa ego me noctis tenebris consolor opacæ:
Non sinit ipsa meos vmbra patere metus.

Nox

Nox vetat ipsa,oculis patrios hærere penates.
  Non cruciant raptæ nî videantur opes.
Ergo diem noctemque iuuat confundere cantu:
  Quælibet auroram scilicet hora refert.
Auroram, quam securas transfusa per vmbras
  Ignea diuini luminis aura facit.
Et potes infaustum consumere luctibus æuum,
  Lætus in vmbrosâ qui potes esse Fide?
Tange Fidem,mortalis, habes tua gaudia tecum;
  Nec peritura vmquam gaudia; tange Fidem.
Sæpè die medio grauis aura canentibus obstat:
  Tuta sonat meliùs nocte silente Fides.

Ego

Ego lux in mundum veni ; vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

Ioan. 12.

EMBLEMA IX.





—*Ex obſcuro ſpectabile cælum eſt.*

Oculis patentem quiſquis excipit mundum,
Videre cælum non poteſt : patet cælum
Habitantibus profunda. Per Fidem proſtant
Videnda,

Videnda, quæ ſagacis ingenî nulla
Lux poſſit exhibere. Scire vis cauſam?
In hominis animo, perſpicace quantumuis,
Malè cum caducis ſempiterna miſcentur.

Vmbras Fidei difficiles & odioſas eſſe naturæ; fieri tamen illas, cùm aſſueneris, amœnas atque iucundas.

HAs ego cùm primùm incipiens habitare tenebras,
Antra meæ potui clauſa videre domus;
Attonitiſque oculis loca lurida circumſpexi,
Vmbrarum incertas iuſſus inire vias;
O quoties ego me miſerum, ſine vindice, queſtus,
Anteruli fatis vltima fata meis!
Felices, puto dicebam, quibus ampla videndi
Copia, ſole diem conciliante, patet.
Viuite, dicebam, felices, viuite læti,
Summa quibus gemino ſub pede terra iacet.
Viuite, ſed tamen heu! ſine me, qui ſubditus orbem
Hæſurum capiti iam puto iamque meo.
Voluere terra, cauis conuoluere tota latebris:
Tantùm ô parce animo cauta ruina meo.
Hac ſuperare tuas, te non obſtante, cauernas,
Et potero tumulis altior ire tuis.
Excute terra feram quæ te conſtringit; amico
Sic precor imbre fluas, excute terra feram.
Pande ſepulcrales humus hoſpita, pande tenebras;
Sic habeas ſolem ſæpè ſerena tuum.

Findere

Findere terra mihi; sic te non findat arator,
  Vulneret aut rigido dura ligone manus.
Findere, fissurâ mox proreptabimus ipsâ:
  Tanti est æthereum posse videre diem.
Hæc ego, & his etiam demens tum plura querebar,
  Nescius hoc magnum numen inesse loco.
Numen vbi agnoui, mala vota precesque retractans
  Non volui à tumulo viuus abesse meo.
Non volui benè perspectis caruisse tenebris:
  A tenebris didici tanta videre meis.
Terram alios iuuet, astra iuuat me fida tueri:
  Astra videre, die non prohibente, iuuat.
Nam quid ego visis videam formosius astris?
  Parce dies, propè iam displicuisse potes.

Ve-

Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo.
Eccli. 2.

EMBLEMA X.



——— *Si laxa est Fides,*
Fidem negabit. ———

Qui laxus ire, quique liber assuescis,
Fidemque lentam liberamque sectaris,
Mutire numquam, vel coactus, audebis,
Elinguis inter obloquentium voces,
Minasque Regum. Quisquis ire vis liber,
Fide inuolutâ captus ipse te perdes.

Nullum

Nullum vmquam Fide laxâ & languidâ aliquid profeciſſe. Fidem itaque firmandam eſſe illi, qui hac ad ſalutem cùm ſuam tum aliorum vti velit.

DEſine vane puer nil proficientibus vltrà
Languentem digitis ſollicitare chelyn.
Cùm ſemel in laxos diffluxit libera mores,
Non exorandâ ſtat ſine voce Fides.
Te licet vrgentem totus iuuet orbis & æther,
Sic tamen vrgenti nil volet illa loqui.
Quiſquis is eſt ſacris qui primùm cantibus æquam
Creditur in citharâ compoſuiſſe Fidem;
Seu fuit ille Iubal, ſeu rebus in vltima lapſis
Tempore quis melior deficiente fuit;
Nil puto feciſſet, ſi fluxam omniq́ue carentem
Lege Fidem, in vanum diſpoſuiſſet opus.
Ille Deo primus, fratrum licet vltimus eſſet,
Ruſticus ille puer, Regius ille puer;
Quem pater ex humili paſtoris origine, vidit
Reddentem populo iura Fidemq́ue ſuo;
Cuius adhuc, quamquam iam tot labentibus annis,
Edita non vno viuit in ore Fides;
Nil poterat præſtare, Fidem ſi lege ſolutam
Siuiſſet citharâ non animante mori.
Languentem ille Fidem manibus tentaſſet vtriſque?
Damnaſſet geminas murmur inane manus.


Deſine

Desine teque tuis torquere Fidemque querelis;
Ac tandem, ſtabilem ſeruet vt illa modum,
Attrahe coniunctis manibus puer, attrahe ferro.
Ambiguam tanti eſt tendere poſſe Fidem.
Vna erit impenſi merces non vana laboris:
Tenſa Fides cælo digna Deoque canet.

Credite

Credite in lucem. Ioan. 12.

EMBLEMA XI.



—*Per cæcum videt omnia punctum.*

Oculus opaco ſi recedat à puncto,
Oculíve medium lumen intret in punctum,
Nil lucis, etiam luce plenus, agnoſcet.
Mens oculus, oculi pupulam Fides format,
Fides rotundum ſola mentis eſt punctum,
Pupilla mentis, ingeníque pupilla eſt.
Hac ad videndum mens fidelis vtatur,
Et facta punctum perſpicax per obſcurum,
Dei ipſa lucem peruidebit æternam.


Niſi

Nisi per obscurum Fidei punctum, cæleste nihil à mortalibus videri.

HAc vbi puncto oculus modicè distinguitur vno,
Et vacuo medius panditur orbiculo,
Rebus iter patet obscurum. Sol ipse, videri
Si velit, hac etiam cogitur ire viâ.
Quin placidus niueis quò plus micat ignibus aër,
Pupula nigra magis, & minor esse solet.
Vsque adeò natura diem sibi sumit ab vmbris,
Visaque per cæcum lumina ducit iter.
Et miramur adhuc, modico cur peruia puncto,
Ipsa per obscurum sentiat astra Fides?
Cur superas per opaca velit cognoscere flammas,
Cur sibi nocte suum conciliare diem?
Pande oculos quâ parte voles, pulsisque tenebris
Hauriat admissum pupula laxa diem;
Nempe die medio noctem spectabis inanem,
Et tenebras plenâ sol tibi luce feret.
Sic pauidis quæ sola diem consumit in vmbris,
Et gemit obscuris noctua culminibus,
Nocte aliquid, nil luce videt: quia laxat hiantes
Lucis ad aspectum pupula vasta sinus.
Non est, crede mihi, sapientis quærere lucem,
Quando per obscurum plura videre potes.

Conuertantur à tenebris ad lucem, per Fidem quæ eſt in me. Actor. 26.

EMBLEMA XII.



— Lux ipſam ſit nota per vmbram.

Melior agendi norma nulla, quàm certo
Quæcumque nutu temporis recedentis
Momenta ducens corrigenda deſignat,
Et agenda ritè præcipit. Fides, vt ſit
Vmbroſa, tamen eſt certa: nulla menſura
Aeternitatis eſſe, niſi Fides, debet.


Deum

Deum nisi obscurâ Fide non cognosci.

ILla polos mundi geminos quæ sola coërcet,
Et mouet æthereos linea fixa globos;
Quæque graues fugiens, cùm sit tenuissima, sensus,
Agnosci certâ non nisi mente potest;
Illa etiam vigiles quæ seruat & exhibet horas,
Denotat & radio luce carente diem,
Nil ageret, si clara suum transmittere solem,
Intus & acceptas posset habere faces.
Nunc obscura & opaca, diem quem nescit, & horas
Quas nequit ipsa tamen cæca videre, docet:
Quotque vmbras facit & patitur, tot nuntiat ignes,
Tot docet æterni luminis esse faces.
Quin etiam vmbrosum quoties se flectit in orbem,
Aethereum toties indicat ire diem.
Vmbra diem, docet vmbra Deum. Quid aperta requiris
Signa, videre Deum si sine luce potes?
Claude oculos natura, Fides iubet; vtere nocte:
Plus aliquid pleno nox dabit illa die.

Sancti per Fidem conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt, &c.
ad Hebr. 11.

EMBLEMA XIII.



——*Rebus in trepidis Fides*
Animosa viuit.——

Terror tremorque publicus Fidem mutam
Silere prohibet. Vis vt arma conclamet?
Vt clangat? orbis trepidet. Ecce iam vincit;
Sibique quem promeruit ipsa dat plausum.

Animos rectæ Fidei publicis in terroribus esse spectandos.

FAllere, qui placidus cùm serpit in otia mundus,
Lentaque tranquillum sæcula tempus agit,
Tunc

Tunc cupies ſpectare Fidem : nil ſegnius illâ eſt,
Cùm loca proſerpens omnia languor habet.
Namq; vbi cuncta ſilent, vbi dormit inutilis aura,
Compoſitoque iacet languida terra ſinu;
Vis vbi nulla furit ; non ventus & aura ſolutum
Concutit impulſu bella mouente polum;
Tunc immota ſolet, ægræque ſimillima, tardos
Ocyùs in ſomnos degenerare Fides.
Horrida ſed pauidus ſi bella reduxerit orbis,
Si trepidus circùm ventus & vnda fremant;
Terra reuulſa globo ſi diſſiliente laboret,
Si dubium mundi machina portet onus;
Tunc ſpectanda Fides. Trepidet licet ipſa, graueſque
Exhibeat pauidâ conditione metus;
Non timet inde tamen. Vocem tremor ipſe miniſtrat;
Cumque ſepulta iacent omnia, & exanimes
Non patitur dolor ipſe palàm producere luctus,
Tunc animoſa, Deo proxima, & ambiguo
Orbe magis generoſa, polus quod vterque libenter
Audiat, vna audet concinuiſſe Fides.
O adſis mihi certa Fides ! voſq; ô fera ventorum
Agmina, vos etiam fulmina, vos dubiæ
Telluris cæliqúe, Erebo titubante, ruinæ inVoluite me : pòtero ſolus, agente Fide,
Inter ſollicitos animi diſcrimina caſus,
Inter oberrantes agmina dira metus,
Eſſe potens, lætuſque: animos dabit illa, pauendo
Quæ generoſa, nihil, cùm tremit, vna timet.

Apparet eis qui Fidem habent in illum: peruersæ enim cogitationes separant à Deo. Sapient. 1.

EMBLEMA XIV.



——*Hac tutò totusque videtur,*

Videre quisquis illud aureum sidus,
Iubar illud orbis, numen illud astrorum
Mortalis optas, ora cautus obnube.

Oculi

Oculi fideli fac tegantur à velo;
Pupilla fidum fida ſpectet in punctum;
Minimo videri ſummus ambit, & gaudet.

Felices eſſe hominis oculos, qui, quà licet per obiectam Fidem, nihil aliud videant niſi Deum.

O Quam te memorem, fidæ velamine noctis
Obnubens oculos candida charta meos!
O quem te memorem, gracili qui penitus orbe
Vnus vtrumque tegis, puncte puſille, oculum!
Certè aliquid mortale ſupra mihi charta videris,
Grande oculis aliquid puncte videre meis.
Ille decor cæli, tenebroſi lucifer orbis,
Sidereæ iubar & limpida flamma domus;
Vnde animis vigor & virtus; quo dante, ſepultis
Vita redit ſurſum viuida corporibus;
Ille (ſed ô fruſtrà nil ſignificantia perdo,
Et repeto ſolidâ verba minora Fide)
Ille Deus puncto totus mihi ſiſtitur vno,
Exiguo immenſus ſiſtitur orbiculo.
Quodque magis mirere; tremens cui ſupplicat æther,
Leniter ante oculos ſiſtitur ille meos.
Candet, & arſuro vehementior imminet orbi?
Arridet placido blandior ore mihi.
Quot radios agit in terras, tot fulmina mittit?
Sunt oculis radij lumina blanda meis.
Lumina, quæ quot in hoc faciunt mihi vulnera corde,
Tot mihi dant plenis gaudia vulneribus.

Quin etiam formas mihi se conuertit in omnes;
Pallet, & ecce meo rursus amore rubet.
Cæruleus fuit; ecce nouum flauescit in aurum.
Vult, puto, pro votis aureus esse meis.
Sæpè quidem variat, numquam tamen exuit orbem;
Aeternus semper, quo videatur, habet.
Ergo Deus puncto veniat spectabilis vno?
Tam modicâ in terras ambulet ille viâ?
Arcta quidem via quæ puncto concluditur vno:
Sat tamen ampla, Deum si capit, illa via est.
Hac Deus in terras; nos ibimus hac quoq; cælo:
Ibimus ô (certâ sint rata vota Fide)
Ibimus; illa mihi fidum dedit vnica punctum.
Ibimus, ire Deus quò prior ipse potest.

Ecce

Ecce pono in Sion lapidem ſummum, angularem, electum, pretioſum; & qui crediderit in eum, non confundetur. Iſa. 8. 28. Rom. 9. 1. Petr. 2.

EMBLEMA XV.



Obſcurè diſtincta refert. ——

Huc veritatis huc adeſte cultores,
Huc veritatis ſimplices amatores.
Videnda nocte eſt veritas: ſed hanc noctem

Quicumque ſpectat, ſemetipſe non perdit.
Quærenda ſolido eſt veritas: ſed hoc quiſquis
Solido requirit veritatis arcanum,
Non ſe ille vitro faſcinante deludit.

Certiùs nullibi, aut ſecuriùs, quàm in obſcuro Fidei, ignota videri.

CLara quidem ſpeculi cryſtallo abſiſtit imago;
Sæpè tamen fragili fallit imago vitro.
Forma ſuperfuſis pulcherrima ludit in vndis;
Sed titubante leuis forma vacillat aquâ.
Induit obiectam glacies quoque pura figuram;
Colliquefacta tamen ſole figura fluit.
Sæpè ſuperficies læuis radioſa metalli
Splendida ſed dubio multa nitore refert.
Vſque adeò ſunt fida parum ſpectacula, fallax
Quæ radiante oculus concipit à ſpeculo.
Diſſipat illa nitor: lux quæ diſtincta putatur,
Plurima confuſo miſta decore premit.
Certiùs hic Fidei baſis exactiſſima noſtræ,
Illa animi ſpeculum, lydius illa lapis,
Certiùs obiectæ diſtincta ab imagine formæ
Omnia, ſed radio noctis amante refert.
Quod video, obſcurum eſt; ſed enim ſpectabilis vmbra
Reddit in obſcurâ viſa ſuperficie.
Exhibet illa mihi rutilum ſine lumine ſolem;
Et tamen hunc ſolem credo coloque meum.
Sidera in hac nigro mihi tecta videntur amictu;
Vel ſic nota ſatis ſunt tamen illa mihi.

Ite

Ite leues igitur Narciſſi, quærite fontes,
Conſpicuas vndis quærite blanditias:
Quærite fallaces lymphæ ridentis amores,
Quærite propenſos in ſua damna oculos.
Quærite quidquid id eſt quod vos commutet in herbam,
Quam tener exſangui floſculus ore premat.
Non ego vobiſcum manifeſta pericula quæram,
Aut oculis vllam robor ineſſe Fidem.
Tutiùs obſcuris ego me ſpeculabor in vmbris:
Nullus in his (quamquam ſtraudibus innumeris
Quidquid vbique doli eſt in me malus explicet error)
Nullus in his caſus perdere me poterit.

Fides ex auditu. ad Rom. 10.

EMBLEMA XVI.



— *Vna Fidem capit auris amicam.*

Ne fugite, quamquam me videtis armatum
Arcu & ſagittâ. Vos ſagitta non ſpectat;
Fideſque, quamuis tenſa, nil dabit præter
Sacrum fidelis Eloquentiæ carmen.

Auditis?

Auditis? an fors hanc videre mauultis?
Ego si viderem, nil profanus audirem;
Oculo vel ipso prostitutus audirem.

Fidem vnam multa & mira insonare auri simplici ad se propensæ.

PAruulus ille, suum qui sic propensus in arcum
Suscipit auriculâ nil dubitante Fidem,
Tranquilloque ferit patientem verbere chordam,
Non vanæ pretium simplicitatis habet.
Cernis vt ingenuus pia serpat in otia vultus?
Vt profugus blando cedat ab ore dolor?
Conniuent, madidoque sinu gaudentis ocelli
Non siccæ produnt omina lætitiæ.
Labraque secreto sibi respondentia nutu,
Magnum aliquid quod ament, quo moueantur, habent.
Nempe Fides quâ parte cauam se fundit in aurem,
Mira sed occulto murmure vota canit.
Vox non vlla foris: sonat intus amabile carmen.
Quantas auris habet credula delicias!
Percipit illa, quid immenso Deus egerit æuo,
Quid ferat æterno tempus & hora die.
Illa Dei Verbum, Verbum Patris incrementum;
Illa ingens tanti sentit Amoris opus.
Illa quid immensi vox Numinis, & sacer ille
Spiritus æterno nuntiet ore, docet.
In Tribus illa Deum persuasa fideliter Vnum,
In Tribus illa suum nouit amatque Deum.

Qualis ab ingenito Genitus Patre; qualis vtroque
Et Patris & Nati Spiritus igne micet;
Naturamque Animamque simul iungantur in vnam
Multiplici plures simplicitate pares.
Illa Hominem capit, illa Deum; Verboque sub vno,
Voce sub exiguâ, sentit adesse duos:
Quamq; aptè Verbo vox consonet ima supremo,
Percipere à pulsu simpliciore potest.
Illa; sed incassùm: non sunt ea credita nobis,
Nec capit hæc nostrâ carmen inane Fide.
Illa (loqui liceat quod amans mihi dictat amanti)
Quid velit vna Fides, audit; & hoc satis est.

Per

Per Fidem ambulamus, & non per ſpeciem.
2. Corinth. 5.

EMBLEMA XVII.



——— *Domino ſufficit illa Fides.*

Viator es, mortalis; in viam ducit
Te vita: ſi te fallat illa, quò tendes?
Viator es: videre ſed viam neſcit
Oculos fatigans cæca nox. Fides nouit:
Hanc dexterâ tenere donec audebis,
Audebis ire; nec ſequêris errantem,
Docere niſi cùm Veritas volet falſum.

In

In negotio Fidei certius & tutius nihil videri.

CVm Sodomam & ſocias Deus vltor criminis vrbes
Promeritos tandem verteret in cineres;
A Superiſque ruens ſceleri indignantibus ignis
Perderet inuiſis omnia cum dominis;
Loth pater infelix cum coniuge, cumque duabus
(Quas nimis heu! ſerò nouerat eſſe ſuas)
Ibat, agente Deo, de tot modò millibus vnus,
Treſque ſimul, profugæ turba puſilla domus.
Mens fuerat, niſi iuſſa Dei ſuprema vetarent,
Saltem oculo patriæ funus amante ſequi.
Iuſſa vetant: abit ergo ſenex, manibuſque prehenſas
Natarum hinc ſtringens, coniugis inde manus,
Currite, dicebat, titubanſque trahebat euntes;
Currite, & incautos ne violate oculos.
Fit fragor: occurrit patriæ trepidantis imago:
Quæque videre minùs debuit, Vna videt.
Quid facis, exclamat, manibuſque parabat vtriſque
Lumina ſollicitus detinuiſſe ſenex.
Seriùs heu! vidit; ſcopulumque induta liquentem,
Quas meruit tantùm rettinuit lacrymas:
Pænè nouo pater & natæ riguere dolore,
Pænè ſub amplexum factus vterque lapis.
Pænè per & lacrymas oculis grauis incidit ignis:
Ne cadat, auerſum dicitur inde vale.


O pater!

O pater ! ô miseræ sine matre & coniuge natæ !
Ô nimis infausto Lothis adempta viro !
Rectum iter ingressis vt iter quoque rectius iret,
Numquid opus patulos vos habuisse oculos ?
O oculi ! malè aperti oculi ! Dum fulminat æther,
Totus & in cineres orbis adustus abit,
Nil spectare iuuat ; cæcum iuuat omine certo,
Quam secura Fides carpit, inire viam.
Ilicet ; ecce feror quò me rapit illa sequentem:
Nescio quò; satis est quòd scio, Fida rapit.

Omnia

Omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.
1. Corinth. 2.

EMBLEMA XVIII.



——— *In obſcuro capit*
Quod non videtur. ———

Quid abditorum curioſe ſcrutator,
Natura noſtro quod remouit à ſenſu,
Rimante quæris & requiris obtutu?
Fidem in profunda mentis antra ſubmitte.
Hæc ſola, quamquam cæca, lucis æternæ
Numen vel ipſo deprehendet in fundo.

Ad

Ad capiendas res abditas, Fidem, non oculos adhibendam.

DIcite fluminei, genus vdum, dicite pisces;
Dicite, quâ melior præda fuistis aquâ?
Dicite sollicitæ, patientes dicite Virgæ,
Quo magis innumerum fonte tulistis onus?
Dicite vos nymphæ, nymphæ Oceanitides, alti
Quæ superas cæli luditis inter aquas;
Dicite, quo grauior de gurgite prodeat hamus
Sæpiùs arreptam pisce sequente Fidem?
Illáne quæ patulos admittit in intima visus?
Illáne perspicuis vnda sedens latebris?
Quæ semper tabulæ fusoque simillima vitro
Sternitur, & planâ fessa recumbit humo?
Illáne, fluctisonum quibus est labor ire per æquor
Squammigeros aget in fila soluta greges?
An qui muscosâ super-impendente coronâ
Densorum tacitè sub nemorum foliis
Turbidus vmbroso fons præterlabitur amne,
Nescius eoæ lucis & occiduæ,
Aptior est plures in vincula ducere pisces,
Vincula quæ tenui tendit arundo Fide?
Dum loquor, obscuro de gurgite protinus exit,
Et sequitur certam præda coacta Fidem.
Non opus est oculis, vt quod latet intus in vmbrâ,
Ingenio possit, sed patiente, capi.
Vna Fides satis est. Quid agis modò prouide, sensu
Omnia cui labor est nil capiente sequi?
Quod spectas, quod amas, frustrà temerarius optas:
Vt capias, oculis ne capiare tuis.

Tu

Tu autem Fide ſtas? noli altum ſapere, ſed time. ad Rom. 11.

EMBLEMA XIX.



——*Stet rectus in certâ Fide*
Qui cadere non vult.——

Sta; ſi vacilles, temetipſe iam perdes,
Fidemque rectam. Rectus ire qui nouit,
Quique arrogante non mouetur inceſſu,
Fidelis, inconcuſſus, ac ſibi conſtans
Deoque, cæli medius & ſoli rectam
Fidem tenebit; nec feretur in præceps,
Tumidi ruinâ quò trahente voluuntur.

In

In cælos viam certam & vnicam esse per Fidem; periculosam tamen illis, quibus incertus animus ab eundi libertate & arrogantiâ vacillat.

Semita quæ sparsis per cælum consita flammis
  A candore suo Lactea nomen habet,
Heroum ingentes animas, noua numina, Patrum
  Dicitur in superas sæpè tulisse domos.
Fabula, mortales; non est ea semita cæli:
  Nam præter fatui luminis exuuias,
Erroresque suos totum quibus occupat orbem,
  Semita vel modicam non habet illa Fidem.
Illa super terras Superisque propinquior ipsis
  Aëris in mediâ quæ regione patet,
Quæ dubias ventis subter labentibus auras
  Murmuraque insani despicit Oceani,
Illa tenenda via est. En altera quæ vehat alto
  Semita, non dubiâ semita tensa Fide.
Hac iter æthereum nobis: hac quisquis Olympo
  Iam sedet, & patriæ tecta viator habet,
Hac proceres abiêre pij, cæloque locati
  Quà pateat certam nos docuêre Fidem.
Cur dubitas modò, trãquillo qui nuper Olympo
  Visus eras stabilem rectus inire viam?
Quæ pauidos fortuna dedit temeraria nutus?
  Quis dubium trepidè mouit vtrimque latus?
At certè, quamquam tellus subiecta minatur,
  Flabraque commissæ rauca cient animæ;
At poteras tamen ipse Fide tranquillus in istâ
  Frustrà sollicitos detinuisse pedes.

Nempe

Nempe sed elatæ deerat constantia menti,
Quæque solent humiles pondera ferre manus.
Nunc titubas, varioque regens discrimine gressus
Diffluis, & (nisi quis te iuuet) ecce cadis.
Quò via recta magis, magis & constanter eundum est:
Non capit incertos semita certa pedes.
Quando iter angustum est, libertas plena pericli est:
Si qua sit ampla, potes liber inire viam.
Arctum iter est rectumque Fides. hac ire per altum
Qui cupis, ire gradu liberiore caue.

Resistite

Resistite fortes in Fide. 1. Petr. 5.

EMBLEMA XX.



Frangitur adductâ segnis inersque Fide.

Fidem insiietus ferre nescit adductam;
Fragilis inersque, delicatus ac segnis
Animus ab ipsâ frangitur Fide, & cedit
Vbi constat alter. Dexteram Tyrannorum

Qui

Qui ferre cupiet, discat antè distendi,
Suamque crebro tentet experimento,
Doceatque nullis viribus Fidem frangi.

Opus esse exercitatum habere animum in Fide, vt hac robustiùs adductâ ille denique non frangatur.

DOnec ego patriâ potui tranquillus in aulâ
Otia neglectâ ferre beata Fide,
Armorum procul à strepitu, procul hostibus vllis,
Assiduus citharæ tesserulisque comes,
Integer & solido non consumendus ab æuo
Gestabam croceis cornua picta notis.
Circumducta Fides, fluxoque tenerrima neruo,
Nectebat lateri vincula blanda meo.
Postquam orbi metus incubuit, miseroq; tumultu
Mouit inexpertus signa cruenta dolor;
Meque timor serò tentatum in bella coëgit
Audaces domini sustinuisse manus;
Tendor agente Fide, motuque exterritus ipso
Cum gemitu cœpi multa dolente queri.
Questus eram: simul ille Fide penetrabile telum
In mediâ digitos inter vtrosque locat;
Adducensque manu generosi cornua nerui,
Curre, ait, in cælum, curre sagitta tuum,
Quæque premant nos bella, Deo narrare memento:
Ille Fidem, certam sentiat ille manum.
Me miserum! quantam imposuit manus illa sagittam!
Frangor ab adductâ segnis inersque Fide.

Otia,

Otia, iam memini, nimiùm mihi lenta fuere;
Non tamen in casus otia lenta meos.
Sæpè Fides nostras tentasset languida vires;
Adductam potui iam quoque ferre Fidem.
Non potui iam ferre Fidem : quia rarior vsus
Abstulit ingenio robur opemque meo.
Arcus eram : sterilis modò fragmen inutile ligni
Forsitan accenso destinor inde rogo.
Parce tamen, partesque latus iungantur in vnum;
Quodque Fides vulnus intulit, ipsa liget.
Iungimur: adductum iam flecte ferociter arcum,
Experiere meam terra polusque Fidem.
Experiere aliquis, quem visa pericula tangunt,
Otia sectantem quid sit habere Fidem.
Experiere, meique memor testabere cælo,
Otia damnantem quid sit habere Fidem.

Qui ferre cupiet, discat antè distendi,
Suamque crebro tentet experimento,
Doceatque nullis viribus Fidem frangi.

Opus esse exercitatum habere animum in Fide, vt hac robustiùs adductâ ille denique non frangatur.

DOnec ego patriâ potui tranquillus in aulâ
Otia neglectâ ferre beata Fide,
Armorum procul à strepitu, procul hostibus vllis,
Assiduus citharæ tesserulisque comes,
Integer & solido non consumendus ab æuo
Gestabam croceis cornua picta notis.
Circumducta Fides, fluxoque tenerrima neruo,
Nectebat lateri vincula blanda meo.
Postquam orbi metus incubuit, miseroq; tumultu
Mouit inexpertus signa cruenta dolor;
Meque timor serò tentatum in bella coëgit
Audaces domini sustinuisse manus;
Tendor agente Fide, motuque exterritus ipso
Cum gemitu cœpi multa dolente queri.
Questus eram: simul ille Fide penetrabile telum
In mediâ digitos inter vtrosque locat;
Adducensque manu generosi cornua nerui,
Curre, ait, in cælum, curre sagitta tuum,
Quæque premant nos bella, Deo narrare memento:
Ille Fidem, certam sentiat ille manum.
Me miserum! quantam imposuit manus illa sagittam!
Frangor ab adductâ segnis inersque Fide.

Otia,

Otia, iam memini, nimiùm mihi lenta fuere;
Non tamen in casus otia lenta meos.
Sæpè Fides nostras tentasset languida vires;
Adductam potui iam quoque ferre Fidem.
Non potui iam ferre Fidem : quia rarior vsus
Abstulit ingenio robur opemque meo.
Arcus eram : sterilis modò fragmen inutile ligni
Forsitan accenso destinor inde rogo.
Parce tamen, partesque latus iungantur in vnum;
Quodque Fides vulnus intulit, ipsa liget.
Iungimur:adductum iam flecte ferociter arcum,
Experiere meam terra polusque Fidem.
Experiere aliquis, quem visa pericula tangunt,
Otia sectantem quid sit habere Fidem.
Experiere, meique memor testabere cælo,
Otia damnantem quid sit habere Fidem.

Beati qui non viderunt, & crediderunt.
Ioan. 20.

EMBLEMA XXI.



——*Amittit Fidem*
Videre qui vult.——

Sic abditarum, ſic latentium rerum
Malè caute cuſtos diſce clauſa rimari
Oculo manuque. Curioſus obtutu
Quod capere, quod tenere geſtit, amittit:
Et quam tenebris poſſidebat incluſam,
Luminibus ipſis proditam Fidem perdit.

Non

Non esse petulanter & curiosè indagandam Fidem, quam nobis certam, sed occultam, hospitatus olim apud nos Dei Filius reliquit.

VEnerat in nostras nouus hospes & incola terras;
Hospitis ad nutum tecta parentis erant.
Ergo domo patriâ laribusque fidelibus vsus;
Iamque abiens puerum vidit, & illacrymans,
Cresce, ait, in seros, mi Paruule, cresce nepotes;
Quodq; habeo, ex merito nate parentis habe.
Dixerat; eque sinu speciosam protulit arcam:
Arca peregrinam clausa tenebat auem.
Fama fuit, quamquam pennis pedibusque carentem,
Remigio tamen hanc ponè sequente vehi:
Quoq; rapit leuis aura, vagi super ardua mundi,
Aethereis solitam non procul ire plagis:
Ac si fortè roget facilem via tanta quietem,
Illam proceris pendulàm ab arboribus,
Montesque tractusque supra telluris iniquos
Vnâ se solitam detinuisse Fide.
Sume, ait, ô ingens meritorum cura parentum;
Hospitis illa tibi munera lusus erunt.
Quod latet, eximium est; veniet quoque tempus, vt ipsum
Quod latet, his manibus his oculisque feras.
Nunc, quando tibi cauta satis prudentia necdum est;
Quidquid id est, oculo ferre manuque caue.

Ille abit. Imperium cum munere Paruulus ambit,
Et tenet; argutas donec ad auriculas
Præsensit volucrem pauitatem, & amabile pignus
Heu! nimis admotâ cœpit amare manu.
Vix benè summa leui deduxerat ostia rimâ,
Vix oculum obscuras miserat in latebras;
Proruit hinc volucris (veluti cùm lubricus ignis,
Quà data porta, foco non remorante fugit)
Mobiliorque leui vento, pernicior aurâ
Aetheris, alta vagum fertur agentis onus.
Quid faciat puer infelix? quò denique vertat
Seque, suosque oculos, sollicitasque manus?
Fletque videtque: vetant lacrymæ spectare quod optat;
Pro volucri lacrymas pyxis inanis habet.
Flet puer. Et rides tu quem magè flere decebat
Consortem tanti participemque mali?
Flere iuuet: lacrymis puerilibus adde viriles:
Plus lacrymis oculi promeruere tui.
Hospes erat mundo cæli Deus: ille paternis
Aedibus exceptus cùm renouaret iter,
Dona tibi puero, sed non spectanda, reliquit:
Dona fuere sacrâ Gratia nexa Fide.
Mens tua pyxis erat; sed erat malè condita pyxis:
Vt patuit, profugam perdidit illa Fidem.
Nunc leuis & vacuus, nunc plenus inanibus vmbris,
Quas agit ambiguâ luce recepta dies,
Das aditum cuicumque dolo; verumque perosis
Fallaces animis accumulantur opes.
In fletus age: namque oculis modò perdita siccis,
Fortè Fides lacrymis est capienda tuis.

Noli

Noli plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram Fidei. ad Rom. 12.

EMBLEMA XXII.



Sine lege qui contorquet, abrumpit Fidem.

Qui delicatam dexterâ Fidem torquet
Ineruditâ, sicque torquet vt rumpat,
Sibi molestus & molestus abruptæ
Vtrumque perdit. Disce semipaganæ
Minister artis, buccinator erroris,
Torquere quam non noueris Fidem disce.

 Fidem,

Fidem, si torqueatur à rudibus, ab ijsdem cum eorumdem insigni ignominiâ fractam resilire.

QVid facis agresti tantùm manus apta ligoni?
Quid struis in teneram sæuior ense Fidem?
Sit pudor hanc tanto torquere ferociter ausu:
Non satis ingenio conuenit illa tuo.
Si iuuat, indomitos poteris torquere rudentes,
Quique ratem freta per languida funis agit.
Aut quibus ingentes tolluntur in ardua moles,
Nodosâ poteris tendere lora manu.
Quid tibi cum citharâ, tensoque suauiter arcu?
Quid tibi cum tenerâ cum facilique Fide?
Scilicet hic aliis labor est; ea cura peritas,
Erudiente Deo, quærit amatque manus:
Siderei quibus ille sacer concentus Olympi
Auribus exceptus insinuare potest,
Ex quâ parte Fides non adducenda laboret;
Quâ sit parte magis conuoluenda Fides.
Desinis? an solito pergis temerarie motu
Commissam grauius sollicitare Fidem?
Perge age, promerito merces manet æqua labori:
Protinus à manibus libera facta tuis
Eripiet se fracta Fides; fugiensque, relinquet
Ipsa sui memores læsa per ora notas.
Has leget, & totum sparget ventura per orbem
Posteritas viduâ carmina scripta chely:
Æqua Fides fueram; fecit qui torsit iniquam:
Iusta tamen, quòd sum dedecus vlta meum.

In

In Fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur. Iac. 1.

EMBLEMA XXIII.



—Quantus ſcrupo labyrinthus ab vno!

Fides quieti fontis inſtar, errores
Excludit omnes. Acquieſce tranquillæ;
Cælumque & ipſum contueberis ſolem
In hoc profundo. Conquieſcis? an pacem
Confundis iſtam? Nempe, nullus vt ventus,

Nec vllus imber vis nec vlla perturbent;
Tamen inquietam,nil mouente Naturâ,
In mille flexus circulosque curarum
Fidem implicare scrupulus potest vnus.

Eum qui sinceram Fidem vel semel addubitando confuderit, mille erroribus implicari.

PArvule (siue tuâ Narcissus haberis ab vndâ,
Seu nouus hac etiam teste vocaris Hylas)
Paruum ego te,certo sine nomine,paruule dicam:
Consimilem multis te tua facta docent.
In speculis alij, tu te specularis in vndâ,
Quam tectis viridi fronde sub arboribus
Nullus agit ventus, nec amabilis excitat aura;
Nec matutinis gutta cadens foliis,
Gutta leuis Zephyri pila paruula, paruula gutta,
Sollicitis vmquam motibus inuoluit.
Sic age Paruule,sic liquido speculare profundo,
Quidquid habent terræ, quidquid Olympus habet.
Non tua Narcisso captum te iunget imago,
Nullus amor lapso te sociabit Hylæ.
Tutus eris, formosus eris: tibi summa videnti
Atria conspicuus pandet amœna polus:
Tantùm ô parue caue, scrupo ne læsa vel vno
Deserat offensam mobilis vnda Fidem.
Sis memor hanc rigido non confluxisse metallo;
Sed liquidum à vitreo fonte tulisse decus.
Ergo,precor, digitis qui scrupulus errat in istis,
Dum licet, incautis proiice de manibus:

Proiice;

Proiice; securam temerè ne lapsus in vndam
Instabilem vultus vertat in ambiguos.
Hoc erat, hoc monui modò, cùm tibi Paruule dixi,
Cautus in hoc velles vt Puer esse loco?
Aspice nunc, *Quantus scrupo labyrinthus ab vno*
Orbibus implexam sollicitarit aquam.
Nuper in hac poteras tua prouidus ora tueri,
Fixa suis poteras astra videre polis;
Nunc, tua si videas atque ætheris ora supremi,
Ambiguâ teneas teque polumque Fide.
Aspice; quod patet hîc, oculis lacrymantibus aptum est;
Nil decet hîc visu non lacrymante capi.
Aspice; quid refugis? Bellum hæc mihi monstra minantur:
Occurrit pauidis terra tremens oculis,
Confusum cum sole chaos, cum luce tenebræ:
Nulla mihi solitam dant elementa Fidem.
Scrupulus ergo oculis mala tanta obiecerit vnus?
Vllus & erret adhuc scrupulus in manibus?
At saltem iam disce tuo malè caute periclo,
Quantula res quantam sollicitarit aquam.
Non seruat leuis vnda Fidem? leuis vnda teneri,
Fida tamen, cautâ simplicitate potest.

Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. ad Hebr. 11.

EMBLEMA XXIV.



—— *Ex Fide viuit.*

Ite helluones, prodigique lurcones,
Vasa ipsa crudis deuorate cum mensis;

Victum

Victum atque vitam mors adesa sustentet;
Venena mortem morte mista depellant.
Meus ille meliùs, nil vetante Naturâ,
Sine morte, viuâ *Iustus ex Fide viuit.*
Facilem colono terra culta dat victum?
Victum illa meliùs, lætiusque procurat.
Mendicitatis nullus horreat nomen,
Modò talis vmquam possit esse mendicus.

Animæ à patriâ peregrinæ, nullum esse subsidium vitæ, nisi à Fide.

NOs animæ peregrinæ, animæ quas dira patrare
Pauperies mala tot, tot mala ferre iubet;
Dum gradimur per iniqua, domum victumque rogantes,
Ecce Dei clausas sistimur ante fores.
Illas ante fores, quas ni manus vna recludit,
Cuius tota tribus pendet humus digitis,
Hanc cogemur in hoc citò limine ponere vitam;
Ponere naturæ deficientis onus.
Nam quid abire iuuet, vel quò iuuet ire, per orbem
Nulla patet miseris si via, nulla domus?
Hîc patet vna domus; sed non patet vnica nobis.
Hospitis offensos suspicor esse lares.
Hîc fessa, hîc succumbe tuo mea vita labori,
Hîc saltem poteris non odiosa mori.
Cur tamen hîc moriere, Fides si viuida restat?
Illa comes vitæ subsidiumque Fides?

Tende Fidem, & digitis impelle fideliter istis;
Credibile hanc clausas pandere posse fores:
Posse laborantem solatia sumere vitam,
Placatasque Dei munera ferre manus.
Non est dura magis rigidâ Styge Numinis aula,
Nec minùs hanc faciles incoluere Lares.
Audiit illa Fidem, vitamque remisit ademptam;
Audiet orantem non minùs illa Fidem.

Scio

Scio cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meum seruare in illum diem. 2. ad Timoth. 1.

EMBLEMA XXV.



——— *Secluso lætior auro est.*

Audire satis est; hinc videre contemnit.
Audire tutum est; hinc videre formidat.
Feratur oculis res profana, res vana;
Oculis subesse sempiterna non debent.

Quæ per Fidem clauſa teneas, ſecuriùs illa, quàm quæ in oculis habeas, poſſideri.

DIcite io ſocij, quoties, cùm luſibus ætas
Prima breues nobis cogeret ire dies,
Cùm pater & genitrix, cùm iuncta ſororcula fratri,
Eſſemus placidæ turba modeſta domus;
Cùm pater, aut melior genitrix munuſcula paruis
Aurea ſollicitè conderet in manibus;
Dicite io, quoties, manibus quod habere licebat,
Inque auidis etiam ſemper habere oculis;
Suſtulimus tamen ex oculis, ſubduximus aurum
Nequidquam cupidis protinus è manibus,
Deliciaſque breues luteâ concluſimus arcâ,
Rima cui clauſum findit aperta latus?
Scilicet obſcuris nec erant incerta ſub vmbris,
Nec poterant dominis dona perire ſuis.
Tum digitis ego ſuetus eram, numeriſque coactis
Diuitias auidè dinumerare meas:
Dinumerare aliis, quas ipſe videre nequibam,
Arcula cùm tacitas clauſa teneret opes.
Tunc ego ſuetus eram manibus librare tenellis,
Et penſare meas pondere diuitias:
Tunc ſatiare auidas crebris tinnitibus aures,
Et certam hinc animo conciliare Fidem.
Ex oculis tum nullus erat qui fleret ademptas,
Nullus in occluſas qui raperetur opes.

Hoc

Hoc ſatis, has magnos quòd conſeruaret in vſus,
 Luderet & fidis arcula cum dominis.
O quantùm nunc verſa retrò Natura laboras!
 O quàm diſſimiles, hic vir, & ille puer!
Certa Fides puero, nullo licet agnita viſu;
 Nunc, quia non pateat, fit leuis iſta viro.
Vertere in antiquos, mea vita, reuertere mores:
 Et poteris certam rurſus habere Fidem.

Modica

Modicæ Fidei, quare dubitaſti?
Matth. 14.

EMBLEMA XXVI.



—— *Capit quod non capit.*

Minimo exhiberi maximus poteſt mundus:
Pila parua cælos claudit intus immenſos,
Capitque quod non concipit. Satis magna eſt,
Licet eſſe nobis mens putetur exilis,

Si

Si ſit Deo fidelis : hac nihil maius,
Hac mente nihil eſt amplius ; ſatis numquam
De mente tantâ ſentit ille qui credit,
Mens maior orbe maximo quòd humana eſt.

Nil eſſe tantum & tam longè poſitum, quod mens fidelis in ſe, quantumuis anguſta, non capiat.

PAma ſit ipſa licet, ſolido ſit fuſa metallo,
Quæ vacuo circum-ducitur orbe pila,
Totaque formoſi ſplendens ab imagine mundi
Promicat illuſtri picta ſuperficie ;
Non minùs illa tamen venientibus obuia rebus
Per clauſas aditum pandit in ima fores:
Non minùs illa tamen , quantumuis paruula, totum
Nouit in exiguo fida tenere polum:
Sideraque,erranteſque rotæ ſeptemplicis orbes,
Quamlibet anguſto claudere tuta ſinu.
Aſpicis vt patrio ſolem deducat Olympo,
Ducat in exilem numina tanta focum ?
Quin etiam quæ fixa ſuo ſtant agmina cælo,
Euocet in modicos hoſpita parua lares?
Luna tenebroſi cuſtos licet vnica mundi
Aethereâ furtim labitur ecce domo.
Quoque ſuum nuper ſenſit diſcedere ſolem,
Ambit in obſcurâ delituiſſe casâ.
Nec tamen hîc ſuperæ coguntur in otia flammæ:
Quælibet aſſuetis fungitur officiis.
Voluuntur cæli: ſtellarum voluitur ordo:
Inſequitur ſolem luna, fugitque ſuum.

Nec

Nec minùs hîc vastæ subsidens machina terræ
  Circumfusa suo fluctuat Oceano.
Stant scopuli; stant immanes iuga saxea montes:
  Pensilis abiectâ valle recumbit humus.
Alterno mare fluctisonum deducitur æstu:
  Luna reor socias hîc quoque voluit aquas.
Quodque magis mirum, tantis pila subdita rebus
  Cernitur exili fixa manere Fide.
O anima! ô parui mens angustissima mundi,
  Quam premit obscuri carceris arcta domus,
Pauca licet capias; totum tamen excipe Numen,
  Et potes hoc stabili certa tenere Fide.

Exulta-

Exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: vt probatio vestræ Fidei . . . . inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione IESV *Christi.* 1. Pet. 1.

EMBLEMA XXVII.



——— Vis ipsa torturæ Fidem
Facit animosam. ———

Fides vel ipsis excitata tormentis,
Magis alta, magis est clara, quò magis tensa,
Quò torta magis est. Muta languet, & nulli
Audita

Audita ſerpit, ſi qua ferre torquentem
Fides recuſat. Ferre diſcat, & lætum
Terras in omnes vna diuidens carmen,
Pæana Superis, ſibi celeuſma cantabit.

Exiguos animos, vocem penè nullam eſſe Fidei ſibi relictæ & remiſſæ; hanc verò, ſi tortura tentantis acceſſerit, altiùs ſemper & altiùs in omnem latè terram, ipſumque adeò cælum, diffuſo ſonitu, exaudiri.

DOnec lenta Fides, faciliq́ue remiſſior arcu,
Præſidis ad nutum iuſſa ſubinde loqui eſt,
Certa quidem numeriſq; ſuis diſtincta locuta eſt;
Qui tamen hæc caperet vix ſatis vnus erat.
Nam velut audiri morientibus edita labris
Vltima vox, animâ deficiente, ſolet;
Sic audita Fides. Tacitæ ceu noctis in vmbrâ
Vix licet arrectis auribus excipitur
Eminus impulsâ quæ præterlabitur aurâ
Lenè ſuſurrantis languida vox Zephyri;
Sic, licet arrectas, vixdum tamen impulit aures
Non ſatis elatâ voce locuta Fides.
Conticuere omnes, nec adhuc ſenſiſſe loquentem
Murmure ſuſpenſo proxima turba poteſt.
Nunc mutata Fides, terras nunc ibit in omnes
Cognitus Oceano littoribuſq́ue ſonus.
Auſcultate poli, cantum ſuſpendite cæli;
Quod iuuet auditum, iam dabit illa Fides.

Voſq́ue

Vosque Erebo damnatæ animæ, indignantiaque vmbrarum
Agmina, sollicitos hîc inhibete metus:
Mensuramque modumque Fides animosa dolori
Ponet, & insanas coget abesse minas.
Tantùm, oro, ferale parumper sistite carmen;
Non facit ad lætam vox inamœna Fidem.
Quid precor? infernis vlulent suspiria claustris;
Murmuret horrendo dira fragore domus:
Terra strepe, ætherei concentum effundite cæli,
Quemlibet in sonitum mundus vterq; tremat:
Iam faciet, quod adhuc alius non fecerit vllus,
Concentum cæli sola tacere Fides.
Altior illa poli trepidique fragoribus orbis,
Altior infernis concinet illa modis.
Vnde ea vis, animiq; ? Manus dedit vna Tyranni.
Torta Fides, tum cùm tenditur, erigitur;
Ipsisque altior, altior, altior à tormentis,
Aequa Deo tandem concinuisse potest.
Nec metuit generosa Fides, ne denique rupta
In medioque tremens verbere dissiliat:
Sic rumpi vult ipsa; illudere sic cupit orbi;
Sic optat cælo digna Deoque mori.

Felix

Felix est ..... incoinquinata, ... habebit fructum in respectione animarum sanctarum: ..... dabitur enim illi Fidei donum electum. Sapient. 3.

EMBLEMA XXVIII.



—*Candida mens mediâ capit omnia nocte.*

Mediis in vmbris, inque noctis obscuro,
Vbi nil videndum est, mira spectat; & puncto
Sibi annuente charta concipit virgo,
Quod ars Apellis exhibere pingendo

Frustrà

Fruſtrà laboret. Nocte quiſquis in densâ,
Proſcriptus aſtris, proſtitutus à cælo,
Moraris exul, inuidenda ſi quæris
Videre, Punctum hoc reſpice; inde momento
Habebis vno, quidquid aſtra promittunt,
Cælumque ſpondet. Caſta mens capit plura,
Quàm totus illi poſſit orbis offerre.

Caſto candidoque animo per Fidem patere plura in obſcuro, quàm curioſis & ſciolis in aperto.


CORporeos rapit ex oculis nox atra colores;
Conſpicuus tamen hac fit mihi nocte color:
Sed color emiſſus cælo puroque receptus.
Quàm ſequitur noctem, tam fugit ille diem.
Alter amans lucis, tenebraſque peroſus opacas,
Nocte abit, aurorâ ſed veniente redit:
Et vacuâ incertos deludit imagine viſus,
Multaque mendaci picta colore refert.
Exhibet ille nihil niſi quod verum eſſe fatendum
eſt;
Quodque orbis, cælo teſte, fidelis habet.
Aſpice, namque potes, quantillo peruia puncto
Quot rerum ſeries quàm ſpecioſa fluat:
Vtque fluat noctis medium per inane profundæ,
Dum cadat in gremium candida charta tuum.
Hîc purâ natat in tabulâ, natat æquore caſto,
Quidquid humus veri, quidquid Olympus
habet.
Si vaga cæruleo voluuntur nubila cælo;
Hic quoque picta leuis nubila ventus agit.

Sol quot habet radios, tot habet radiata papyrus,
Innocuas tòt habet charta ſerena faces.
Si qua ſecet volucris plaudentibus aëra pennis;
Hîc ſimili plaudens remige fertur auis.
Ventus agit frondes? tremit hîc quoque frondibus aura,
Et pauidis curſim ludit in arboribus.
Fons etiam puris qui limpidus errat arenis,
Huc velut effuſas ferre videtur aquas.
Et ſit adhuc qui clara foris ſpectacula quærat,
Cuncta domum certâ cùm ferat vmbra Fide?

Rectum

Rectum est Verbum Domini, & omnia opera eius in Fide. Psal. 32.

EMBLEMA XXIX.



— *Una Fides agit omnia.* —

Rota parua cælos quòd sequatur ingentes,
Cursumque solis siderumque sectetur,
Agente nullo vel regente, miraris?
Ego miror vllos esse qui Fidem certam
Habere se testentur; & tamen segnes,
Non lege cæli, non amore ducantur.
Negat, otiosam stare qui Fidem cogit.

Cùm Fide moueantur inanimata ipſa, mirum eſſe animam Fide præditam ordinato motu ad cæleſtia non rapi.


VOluitur in gyrum, raptuſque reuoluitur æther,
Voluuntur ſtabili ſidera verſa polo:
Cauſa tamen tanti non eſt ſatis agnita motus;
Hic genios cauſam iudicat, ille Deum.
Eſt quoque telluris validâ vi rapta per orbem
Qui putet alternas aſtra ſubire vices,
Qui ſtabiles cæliſque vagos errantibus ignes
Terrarum tanto credat amore rapi.
Nil equidem hîc ſtatuo. Miror magis, æmula cæli
Vnde ſuas agitet machina parua rotas;
Perpetuoque ſequens labentia tempora motu,
Quâ ſe, quâve ſuam dirigat arte manum.
Ecce ſuo quoties ſol circumducitur orbe,
In gyrum toties ambulat illa ſuum:
Irrequieta quies nunc huc, nunc vertitur illuc,
Omniaque ad nutus Indicis ire iubet.
Seu nox, ſiue dies alternas tendat in oras;
Nocte dieque ſuum dextera voluit opus.
Sola Fides intus, mihi credite, ſola laborat;
Compoſitas circùm dirigit vna rotas:
Vna Fides ambitque rotas vrgetque iubetque
Iuſta per æquales in ſpatia ire moras.
Et potero, dum certa meos circumligat orbes,
Certa ſinus animi ſtringit amatque Fides,

Et

Et patriis potero ipſe rapi contrarius aſtris?
Aethereis potero degener ire plagis?
Quippe fatigatæ iubet hoc mentis graue pondus;
Quæque ſub immani pondere vita gemit.
Ergo iubente Fide rota rapta ſequatur Olympum?
Nil agat ad noſtram languida vita Fidem?
Non motus ferat æthereos? non diuidat horas,
Ignea diſſimulans aſtra diemque ſequi?
O prohibete moras Superi! qui neſcit Olympi
Iura ſequi, certam non habet ille Fidem.

Probatio vestræ Fidei ...... inueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelatione IESV *Christi, quem cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis.* 1.Petr.1.

EMBLEMA XXX.



— *Spectat hunc quem non videt.*

Errantis orbis illud aureum sidus,
Stabili quod vnum dirigit viam cælo,

Spectare

Spectare quamquam non poteſt, tamen ſpectat
Fides, vel imâ conſepulta tellure.
Solidâ profectò viſione ſpectatur,
Solidum per ipſum quod videtur & conſtat.
Per inane ſemper res inanis apparet.

Corporeum nobis obicem fruſtrà obiici, quando, hoc non obſtante, per Fidem Deus ipſe cognoſcitur.

QVid mihi corpus iners funeſtas obiicis vmbras,
Accumulans animo pondera tanta meo?
Ne ſpectem fortaſſe pio mea numina vultu,
Numina ne viſu non adeunte ſequar?
Vt fingam mihi fortè Deum, quem tangere poſſim,
Præſentemque oculis ſemper habere meis?
Falleris inſanæ moles temeraria maſſæ,
Falleris ingenij pondus & vmbra mei.
Mille licet ſolidis obſtent penetralia clauſtris,
Mille laborato ſtent adamante fores;
Quin etiam, quà diffuſi patet area mundi,
Horreat immani maſſa coacta luto;
Mens immota tamen Punctum ſpectabit in vnum,
Vna ſuum aſpiciet non variata Deum.
Non opus vt videat, quem ſe vidiſſe fatetur,
Non dubio quoties ſenſerit orbe tegi.
Non opus eſt oculo capiat, quem certiùs ambit,
Quàm queat indicio luminis vlla ſequi.

Tanta Deum fidamque ligat concordia mentem,
Tanta vel ignotum nectit vtrumque Fides,
Tantus amor, totus licet orbis amantibus obstet,
Tantus agente Fide conciliatur amor.
Stamus, & æternùm stabiles constabimus ambo;
Versa licet dubiâ stent Elementa Fide.
Stabimus obtutu, nihil vt spectemus, in vno;
Immotum satis est posse tenere Deum.

Fides

Fides vestra non sit in sapientiâ hominum, sed in virtute Dei.

1. Corinth. 2.

EMBLEMA XXXI.



Certa Fidem Scriptura regit.

Obſcura ſacræ puncta multa Scripturæ,
Notæ ſubinde candidæ, ſed hæ paucæ,
Fidem gubernant. Nouit illa quid cantet,
Obſcura quamquam concinat: magis promptè

Numquam profatur illa, quàm nigris cùm ſe
Notis tuetur. Clara ſigna ne curet,
Obſcura quiſquis intuendo non errat.

Non eſſe Fidem vrgendam ſenſu proprio, ſed ductu Scripturæ à Deo nobis traditæ moderandam, vt ad menſuram cæli canat.


SI benè compoſitis per verba ſonora lituris
Dirigat intentam Regula quina Fidem;
Si taceat cùm fortè loqui Scriptura vetabit,
Non taceat quoties iuſſerit illa loqui;
Audiet hanc prono modulantem vertice cælum,
Audiet hanc pauido ſubdita terra ſolo.
Quin etiam inferni penetrantem clauſtra profundi
Nulla Fidem hanc iterùm deſeret Euridice.
Hæc erat illa Fides quam Sol quandoque canentem
Audiit, & cœptum diſſimulauit iter.
Hunc ſonitum fundebat aquis illiſa cruentis
Virga, procelloſum findere iuſſa mare.
Audierat, manet arrectum ſine fluctibus æquor,
Et fluidis hæret penſile littoribus.
Quippe Fides iubet: hac trepidas reſonante per vndas,
Non fuit auſa ſacros tangere lympha pedes;
Tota licet ſicco penetrarent caſtra profundo,
Staret & in medio dux populusque mari.
Tu modò quiſquis amas Naturam flectere cantu,
Flectere non humilem ſub tua iura Deum;

Sic

Sic moderare Fidem: tibi ſic Scriptura canenti
Suggerat expreſſis verba ſonanda notis.
Turpe Fides vlulat, quam nullis legibus aptam
Ruſtica conſueuit ſollicitare manus;
Quam rudis ad numeros Corydon damnauit agreſtes,
Iuſſit & inſano Tityrus ore loqui.
Non ego ſic, non me dubio temeraria plectro
Vota iuuat vacuâ concinuiſſe Fide.
Scripturam ſequor, atque notas & ſigna Parentum,
Tradita per nutus, tradita perque libros.
Illa Fidem plectrumque regant: ſine legibus iſtis
Concordem Superis non reor eſſe Fidem.

Quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum Fidem Dei euacuabit? absit .... quia ..... sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant. ad Rom. 3.

EMBLEMA XXXII.



—— Nec sola nec integra reddit
Perfidus interpres. ——

Ne crede lapsis; mentiuntur, & numquam
Audita reddunt; nec fidelis interpres
Diuinioris Eloquentiæ vano

Bubonis

Bubonis antro, vel palude cœnosâ
Processit vmquam. Veritas venit cælo.
Fidelis es? sentire vera delectet;
Cælumque castus vnde Spiritus manat,
Tua non-profano mens sequatur auditu.

Nihil certi aut solidi circa diuini verbi fidelem interpretationem adferre posse antiquo-nouatores illos, qui euersi sensus ac religionis omnis vanissimâ mente sic excipiunt loquentem Dei Spiritum, vt truncum illum ac monstrosè varium in obuios refundant.

TEctorum vacuis quod agens penetralibus Echo
Garrula desertis murmurat ex adytis;
Credite mortales non sunt oracula, quamquam
Abditus arcano spiritus ore sonet.
Voce caret mens illa, caret vox perfida mente:
Nulla tenebrosas vita colit latebras;
Sed sonus impulsâ ludens petulanter in aurâ,
Itque, iterumque leui fractus ab ore redit.
Quin si multiforis discedat hiatibus antrum,
Pluraque dispositis sint caua iuncta cauis,
Sæpiùs auditas Echo temeraria voces
Indomitâ passim garrulitate canet;
Sed truncas tamen: hoc illis priùs omnibus error
Auferet amissâ simplicitate decus.

Tu quoque desertis qui verba sonantia cælo
Pectoris euersi concipis in latebris;
Qui veri nouus interpres mala semina mentis
Spargis in auritos multiplicata sinus;
Fallere si vanis sperasti perfide verbis
Tam dubiam populo conciliare Fidem.
Nouimus ingenium. Vacuo tibi futilis Echo
(Quam genuit pauido mobilis aura sinu)
Plura simul referens animo sonat. Audiat orbis,
Et putet his vllam vocibus esse Fidem?
Quas neque mens,neque lingua, nec os mortale locutum est,
Cæca sed è tumulo fudit hiante domus?
Vmbrarum domus ? horrendæ domus hospita noctis?
Obsceno lemurum fornice tecta domus ?
O prohibete dolum Superi! Tuque vnica magni
Vox Patris, in nostram vox animata Fidem,
Huc age de cælo, mentique illabere nostræ:
Ecce patent omnes in tua verba sinus.
Audiimus; sonuere, velut cùm fulminis ictu
Nubila concussum dissoluere latus.
Audiimus. sonuere sacræ per inania voces,
Quas melior summo Spiritus orbe tulit.
Non sonuit vox vna, tamen vox vna videtur,
Quam canit vnanimi terra polusque Fide.
Sic vno confusa sonat symphonia cantu;
Cantus at è multis vocibus ille sonat.
Sic Tenor à reliquis distinguitur, Altus ab Imo;
Vocibus at resonat vox tamen vna tribus.
Est quoque sidereis concentus in orbibus vnus;
In cantum tamen hunc quilibet orbis agit.

Vox

Vox non vna sonat; sed vox tamen vna videtur,
  Vnica quam certo concinit ore Fides.
Hæc precor vna sonet; temeraria non sonet Echo,
  Interpres sacri futilis Eloquij.
Sin, resonante Deo, cæloque loquente, necesse est
  Vt leuis incertis obstrepat illa modis;
Obstrepat: hanc cælis intenta loquentibus auris
  Audiet, & nullam dicet habere Fidem.

Qui verbum meum audit, & credit ei qui misit me, ... in iudicium non venit. Ioan. 5.

EMBLEMA XXXIII.



Quod non capis, quod non vides.

Argute prono quid requiris obtutu?
Sonum puer venaris? & Fidem captas?
Frustrà. inuidere si lubet, licet; numquam
Sonum videbis. auribus oculi cedant.
Vbi nil videndum est, cur laborat obtutus?

Videre

Videre oculis aut manibus palpare velle Fidei pronuntiata, ignoscendum fortè pueris; sed non esse ferendum in viris.

SOllicitas citharæ sonitum vocalis ad aures
Paruulus ignotâ senserat ire Fide:
Ambit, amat, quærit, scrutatur & omnia lustrat;
Impatiente ruit per loca vasta pede.
Sæpè suâ resonare Fidem sibi finxit in aure,
Cumque Fide optauit sic resonante mori.
Sæpè puer dixit, nisi se dixisse putauit:
Illa Fides nobis non aliunde venit.
Ille meus quatit impulsas qui spiritus aures,
Viuidus ille Fidem spiritus intus alit.
Iamque sibi plaudens, (quis enim sibi plaudere nescit?)
Visus erat stabilem solus habere Fidem;
Cùm tacitâ citharam resonantem fortè sub vmbrâ,
Et citharæ auditam vidit inesse Fidem.
Illam, nescio, quis, patriâ procul vrbe viator,
Victus amore suo, siue dolore suo,
Propter iter modicam temerè proiectus in vmbram,
Iusserat inculto pollice pauca loqui.
Pauca referre mihi quamquam puer ille volebat,
Non potuit pauidus pauca referre puer.
Iamq; sopore soluta manus, plectrumq; canentis
Finierat medio carmen inane sono;

Audet

Audet adire puer, citharamq; mouere tacentem,
Et residem digito sollicitare Fidem:
Illa tremit, placidumq; ciens conterrita murmur,
Protinus vmbroso quà patet ore canit.
Hîc puer, Intus, ait, tenebris latet intus in istis,
Quidquid id est dubium quod sonat inde melos.
Certè auis, aut auium de gente tenerrima vox est.
Illa oculis, vox est illa videnda meis.
Spectat, & exspectat, vacuasque intentus in vmbras
Obscurum patulæ lustrat inane lyræ.
Demens! qui sonitum, qui non spectabile carmen
Lumine crediderit posse vidente capi.
Sed tamen errarit petulans puer. Error haberi
Nempe ioco dignus consilioque potest.
Sic errare viros? Non est tolerabilis error,
Auribus ereptam velle videre Fidem.

Aspicien-

Aſpicientes in Auctorem Fidei, & conſummatorem. ad Heb. 12.

EMBLEMA XXXIV.



—— *Punctum via certa per vnum eſt.*

Fruſtrà laboras, mente quiſquis incertâ
Res abditas venaris. inter errores
Et huc & illuc faſcinata cæcutit
Sapientia, oculum quæ ſubinde fallacem
Puncto euagari dirigente permittit.
Puncto coërces? ſolue tela: rem tanges.

Humanam

Humanam mentem, vt Verum, præsertim à se remotum, certò attingat, simplici & semiclauso oculo collineare debere per punctum Fidei vnicum, priusquàm suas à se intellectiones emittat.

NOs, quorum incita mens agilis solet arcus haberi,
Arcus inoffensâ tensus vtrimque Fide;
Quique volant animis externa petentibus actus,
Sunt veluti metam tela secuta suam;
Quodque vnum mens vna videt spectabile Verum,
Dicitur ingenuæ meta suprema viæ;
Aeuo multa breui fortes iaculamur: & vltrà
Impetus humani quàm ferat ingenij,
Tendimus audaci mentis pede. Quid tamen vltrà
Tendimus? incertum semita fallit iter;
Meta fugit, nutat pauido temeraria motu,
Et dubiis agitur pulsa sagitta notis.
Nullum pondus inest; non est constantia rebus
Vlla; negat Verum quælibet hora suum.
Heu! rerum ignaræ mentes, Verique, quod vnum
Tam procul humano sustulit orbe Deus,
Quàm propè delusas agit ignorantia mentes,
Quàm propè deceptas error inanis habet.
Ite leues, agite ite animi, cælumque vel ipsum
Mentis inexhaustâ quærite stultitiâ:

Quærite

Quærite quidquid vbique latet, seu summus vbi
orbis
Immenso circumcingitur à nihilo;
Siue vbi ponderibus hinc inde prementibus hæ-
rens
Pendet in exiguam terra coacta pilam.
Quærite io, Veri venatricesque sagittas
Quâ lubet excussâ deproperate Fide.
Quin etiam, qui rebus inest mortalibus, ipsum
Spectandum fixâ quærite mente Deum.
Nil agitis, donec spatium speculata per æquum,
Mens oculum puncto dirigat vna suum,
Pauca videntem oculum; conniuentemque fi-
deli
Cauta supercilij simplicitate tegat;
Nec videat quod inane iubar sub luminis vmbrâ
Terraque mendaci picta colore fouet.
Non videat, primæ quod lux formosa diei,
Nube suâ Verum dissimulante tegit.
Hoc videat, videatque oculo prudentior vno,
Vno quod puncto dirigit vna Fides.
Tunc, licet huc illuc temerè obluctantibus Euris
Nutet in incertos aura reducta sinus,
Ventilet & liquidum medio Natura recessu
Aëris adstringi non patientis onus,
Tunc poterit secura & constantissima cursu
Incita mens Verum nil variante sequi.
Donec in hoc tandem tranquilla quiescat, & ip-
sum,
Qui status est animi, spectet ametque Deum.
Quin etiam patuli si fors per deuia mundi
Tramite perpetuo terna feratur auis,

Tresque

Tresque simul certo speculetur prouida puncto,
Iungere tres simul has vna sagitta potest.
Nempe viam non cæca dabit fortuna; nec ille
Qui solet in dubiis casus habere locum.
Ipse viam Deus expediet, punctoque videndum
Diriget in Verum certa tenaxque Fides.
Hoc age mens puncto telum rege. Si facis, Vnum
Iam potes in Trino fixa tenere Deum.

Creden-

Credentium cor vnum. Actor. 4.

EMBLEMA XXXV.



——— *Fidem concordia sanam*
Sola probat. ———

Concordiam si tollis, & Fidem tollis.
Discors vocari non potest Fides; murmur
Pauidum vocetur. Desipit, Fidem quisquis
Putat inter ipsas diffidentium rixas
Sanam inueniri. ———

Furiosam

Furiosam incredulæ mentis agitationem non posse componi à discordi Fide hominum diuersa sentientium: opus esse, eum qui pacem habere animi velit, ad sanam iam inde à tot sæculis vnius Fidei concordiam auscultare.

ESse quid hoc dicam, perplexa quòd omnia cerno,
  Cuncta quòd ambiguâ stant mihi visa Fide?
Esse quid hoc, dubiis quòd mens perterrita monstris
  Aestuat, & visis ægra fit ipsa suis?
Non oculis mihi, non sensu conceditur vllo
  Sincerum in dubiis consuluisse diem.
Quin etiam, incertæ quæ sola est regula vitæ,
  Ambiguam Ratio vix tenet ipsa Fidem.
Quodque mihi horrendum magis omnibus est tormentis,
  Quòd patiar scio; sed nescio quid patiar.
Sic cui viscera vis morbi furialis adurit,
  Quemque animo profugum cogit abesse suo,
Vertitur huc illuc, in seque reuertitur amens,
  Vnus vbique suum quærit & vrget onus.
Sic viridi fusum quem fortè viator in herbâ
  Vidit, & arguto verbere dissecuit,
Voluitur in dubios coluber temerarius orbes,
  Et fugit attactu territus ipse suo.
Hei mihi! terreor ipse meis quoq; percitus vmbris,
  Excrucior tactu proditus ipse meo.
Ipse ego meq; Deumq; meum per inania quæro;
  Quæro, sed & fugio meque Deumque meum.

Quid

Quid fugiam tamen ignoro. Crudelis in illos
Cur duxti miserum me mea vita dies?
Tutiùs, ah! meliusque tui secura Deique,
Consimilis brutis consimilisque feris,
Non caperes æterna, breuique exercita fato
Exciperes finem deperitura tuum.
Nunc capis, & caperis perplexa capacibus annis;
Nunc capis æternos nescia ferre dies:
Dumq; tuo frustrà trepidam te pondere versas,
Cogeris impositum ferre dolenter onus.
Talis erat rabies furiosi dira Saülis;
Aestus in insano pectore talis erat;
Cùm pariter seque ipse suosque exosus amicos,
Immeritæ cuperet tradere cuncta neci.
Felicem tamen! emotæ cui iurgia mentis
Iesseus potuit composuisse puer;
Luctantique, animis malè respondentibus, iræ
Concordi potuit ponere iura Fide.
Hei mihi, nescio, quis fidicen mea vulnera tentat!
Vulnera sed tali non medicanda Fide.
Vrgentur malè concordes in carmina nerui,
Vrgentur stabili fila soluta Fide.
Scilicet hinc pauidæ veniet concordia vitæ,
Paxque animo veniet sera sed vna meo.
Turbatur mare compositum discordibus Euris.
Dissona vox rabidos cogit in arma canes.
In furias agit ambiguo tuba turbida cantu.
Somnus ab incerto murmure pulsus abit.
Cantatum satis est. Dextramq; fidemq; remitte;
Non facit ad luctus illa vel illa meos.
Vna mihi præstare Fidem concordia sanam,
Vna meos mecum conciliare metus,

Vna

Vna laborantes in ſomnum ducere curas,
Vna animo dubium tollere poſſet onus.
Sic mihi ſiue Dauid, ſeu quis de ſanguine tanto
Præcineret certâ conſona Verba Fide,
O ego quàm ſubitò vacuus furialibus vmbris,
Concordes caput hoc leniter ad numeros,
Et ſimul has aures, ſimul hunc animũ inclinarem!
Dum placido ſenſim murmure compoſitus
In ſomnum, ſine vi ſine pulſu aut verbere vitæ,
Haurirem tacitos funera lenta dies.
Non aliter pauidus per iniqua tremensq; viator,
Seu nox ſiue metum fecerit ipſa dies,
Horrida nox, inamœna dies, nox frigida, ſole
Toſta dies, fontis ſi tamen irrigui
Ad caput in denſâ latus inclinauerit vmbrâ,
Et ſtrepitum feſſis auribus excipiens,
Murmura ludentis concordia ſenſerit vndæ,
Sollicitos vndæ mobilis in ſilices;
Senſim oculos, ſenſim ille animos & pectora vin-
ctus
Flexanimâ ſomni compede, ſe ſibimet
Eximit, & placidâ compoſtus pace quieſcit.
Quid moror ? Vna Fides, illa mihi toties
Exoptata Fides, concordibus incita neruis,
Neſcio quid fidis auribus inſonuit,
Turbatoque animo pacem dedit. Ite timores,
Dira tacete animi iurgia, abeſte metus;
Ite laborantis diſcrimina perfida vitæ,
Impauidum concors me iubet eſſe Fides.
Si qua Fidem perplexa regit diſcordia, non eſt
Sana Fides : dolor eſt illa furorque Fides.

Fides

Fides vestra non sit in sapientiâ hominum; sed in virtute Dei. 1. Cor. 2.

EMBLEMA XXXVI.



——*Summo sine pondere non est*
Recta Fides.——

Mens destituta viribus Fidem rectam
Non sustinebit; ferre pondus appensum
Ignaua nescit. Iunge pondus, & fluxam
Fidem explicabis. Sta fidelis, & consta.
Qui delicatus optat esse, non credit.

Dubiam intricatamque diffluere Fidem illam, quæ per iunctas Patrum sibi succedentium manus traditum à Deo attestationis diuinæ pondus amiserit: certam porrò in profundis scrutandis Regulam esse Fidem illam, quam rectam fecerit tradita nobis auctoritatis seu diuinæ virtutis appensum pondus.

ILla quidem, quam visceribus mihi texuit imis
  Qui Deus & tenui in corpore vermis erat,
Illa Fides animo castorum est regula morum:
  Regula certa tamen non erit illa Fides,
Si leuis impatiensque regi sine pondere passim
  Diffluat in laxos libera tota sinus.
Scilicet à ventis impulsa procacibus, ipsi
  Ludibrium cælo, ludibriumque solo,
Quò rapiet nutus dominæ temerarius auræ,
  Aestibus aëriis vile feretur onus.
Pendula sic summo voluuntur aplustria malo,
  Sic trepidis fluitant stamina picta notis.
Sic bolide amissâ per iniquos languida fluctus
  Huc illuc pauidis vincla feruntur aquis.
Nec,nisi quâ de parte leuis fluat æstus & aura,
  Indicio quidquam nil penetrante notant.
Prome tuam,tu quisquis onus portare recusas,
  Quod Patrum stabiles imposuere manus,
Prome Fidem fluxæ Fidei sectator, & expers
  Quo dubiam auxilio consilioque regas.

Prome

Prome Fidem, iubet hoc cælo patiente tyrannus:
Hoc modò versa iubent tēpora, prome Fidem.
Promitur ecce, sinuque fluens variata coacto
Fertur in aëreas pondus inane plagas:
Quin voluens sese ipsa, intricatamque reuoluens,
Mille cruces, nodos mille sinusque facit.
Sic abit in spiras aqua turbida; sic vagus anguis
Saxa per & scopulos insinuatus abit.
Lubrica muscoso sic præterlabitur aluêo,
Et labyrintheos explicat vnda sinus.
Sic petulans inter silices, siluæque cadentis
Relliquias, trepidâ fons spatiatur aquâ.
Dent tibi, dent, oro, Superi pro lusibus istis,
Captus vt ipse tuâ detineare Fide.
Exoriare aliquis sinuoso turbine motus,
Siue ruat cælo seu ruat ille solo;
Qui frustrà licet obstantem, frustraq; frementem
Te nimis implexam cogat habere Fidem.
Tunc, velut intortâ quam voluit aranea telâ
Musca venenatis pendet in exuuiis,
Et fremit & queritur, medio testabere cælo
Pendulus, hæc fluxam fata dedisse Fidem.
Quid loquor? aut vbi sum? precor ô, precor ille superſit
Integer; & cælo quæ tulit è patrio,
Perq; manus Deus ipse solo transmisit habenda,
Applicet ad dubiam pondera certa Fidem.
Tunc simul, incertas rapiat si fortè per vndas
Indocilem petulans æstus & vnda ratem,
Tunc ego, tunc simul ille, Fide tentante profundum,
Ambiguum inter aquas experiemur iter.

Tunc altas demissa Fides cùm senserit vndas,
Ite meæ, dicet, ite per alta rates,
Ite rates, Deus ire iubet. Via tuta profundo est,
Quod fuit admisso pondere mensa Fides.
Tunc etiam egressis pelago, cùm littore tuto
Supponet placidum mollis arena vadum,
Stabimus erecti cælo. Tunc pondere certo
Nos faciet cæli summa tenere Fides.
Sin etiam dubiæ leuis inconstantia mentis
Iusserit offensum conuoluisse latus,
Recta Fides iterùm sustollet. Amica tueri,
Quem non fluxa Fides dirigit, astra potest.

Habemus

Habemus fiduciam, & accessum in confidentiâ per Fidem eius.
ad Ephes. 3.

EMBLEMA XXXVII.



Recta quà ducit Fides,
Via certa cælo est.

Ascende, sed ne desere hanc Fidem: non est
Via certa cælo quæ recte ditâ cælo.
Fides propinqua est: hanc tuere complexu

 Fidelis

Fidelis arcto: si tueris, ascendes,
Et nullus vmquam te videbit errantem.

Mens humana quamdiu destituta fuit directione certâ Fidei, agnoscit se, in ignorantiæ densâ nocte, intellectus sui vi licet igneâ, Deoque ipso igne illo ac luce primâ sibi communicatâ, in vagos ac turpissimos errores abusam esse: tandem porrò inuentâ sibique adstrictâ Fide, per eam se iter ad abditissimarum rerum cognitionem certissimum inuenisse.

IRe quidem rapido me vis iubet ignea motu,
Quam cohibet clauso fistula parua sinu:
Ire tamen iubet incerto per deuia cursu,
Et dubiam errando sollicitare viam.
Nunc cælum petit illa; solū nunc rursus iniquum
Ambit, & in cœno voluitur vda suo.
Nunc vili pertæsa iterùm putrescere terrā,
Suspendit medio corpus inane polo.
Sic feror, ambiguo sic me rapit impetus igne,
Sic agit in casus prodiga flamma meos.
Ac licet indomito necdum consumpserit æstu
Enthea quas nobis indidit aura faces;
Exiguum tamen est animi quod restat. & ecce
Languidior pronâ voluor in ima viâ.
Ergóne vt in cœno, cæli decus, hospita cæli
Olim sideribus annumeranda meis,

In

In cœno tandem ipſa,meo contraria cælo,
Vixque tegenda luto,denique vt emoriar?
Hoc patiare tuo qui me dignatus amore es,
Quique tuo totam paſſus es igne rapi?
Hoc patiare Deus Ignis meus? Vnicus ergo
Non erit has ſurſum qui velit ire faces?
Nullus anhelantem cælo qui dirigat, & me
Conſpicuum tractu ſidus in æthereo
Oſtendat terris? O fata inimica! quid vltra
Demoror in fumos prona fauilla meos!
Ten' teneo? ten' certa Fides complector? & in te
Quà cælum terræ iungitur, ingredior?
Alta ſuper maria & terras, ſuper aëra & ipſum
Aethera, Naturæ denique ſumma ſuper
Ingredior? Agnoſco Fidem. Iam cæca valete
Lumina; in errores lumina prona meos.
Ipſa mei ſecura, ſolique oblita, ſecundo
Stamine, quo dubium regula ſignat iter,
Immenſum per inane poliq; immane per altum
Prouehor incertis anteferenda notis.
Quò rapiar tamen ipſa vetor ſpectare. ſat vnum eſt
Quòd rapiar certâ per loca vaſta Fide.
Non ego lumina nunc ſummis ago praua cælis;
Sed video auerſâ templa ſerena face.
Nocte feror ſine luce; Fide duce. Cedite nubes
In cælum; ire Fides quò nequit ipſa, feror.

Statis in vno spiritu vnanimes, collaborantes Fidei. ad Phil. 1.

EMBLEMA XXXVIII.



—— *Stans vno capit omnia puncto.*

Quis credat ? vno donec hæret in puncto,
Dimensor orbem ducit ille perfectum,
Et adhuc quadrari nescium capit solus,
Solusque nouit. Mens fidelis in puncto
Dum stabit vno, sola numen immensum,
Quod præter illam nemo nouit, amplexu
Capiente claudet; & negabis æternam?

Hominis

Hominis animum stabili suâ voluntate fideliter fixum debere consistere in Deo puncto illo rerum omnium medio, indiuiduo & immenso, vt intellectu tandem suo, omnia in orbem etiam longissimè à se posita sine varietate vel errore concludat.

CIrcinus ille, duos nodo qui colligit vno,
Siue vocare voles brachia, siue pedes;
Vt capiat, quidquid circùm iacet; ambulet vno,
Vno sed constans hæreat ille pede.
Stet summo pede, stet puncto defixus in vno,
Nec dubium pauidè torqueat inde latus.
Sic constans stabilisque suum se flectet in orbem,
Consimilem cælo, consimilemque Deo.
Tanti est in medio fixum consistere puncto,
Tanti est immotum posse tenere pedem.
Si nescis, mea mens, qui te tuus edidit Auctor,
Te velut in partes distulit ille duas.
In partes, quas siue pedes seu brachia dices,
Vim geminam vitæ nouimus esse tuæ.
Vna domi sistens, quidquid foris altera captat,
Sentit, & arbitrio damnat amátve suo:
Altera perpetuo, quidquid videt, excipit orbe,
Concluditque suo protinus ingenio.
Hæc dici Ratio, dici solet illa, Voluntas.
Indere ius fasque est nomen vtrique suum:
Sic age, quò capias nullo quod clauditur orbe,
Quò capias ipsum mens animusque Deum,


Sic age, ſic puncto ſta fixa fideliter vno.
  Hoc tibi certa Fides, hoc Deus eſſe poteſt.
Hoc defige pedem, peſque inde perambulet alter
  Quidquid vbique ſinu terra virente tegit;
Et capiet ſpatioque ſimul concludet in æquo,
  Quod neque terra, ſuo nec capit orbe polus.
Non labor eſt, vbi certa viam conſtantia monſtrat,
  Quantum vix toto permeet aura die
Percurriſſe vno ſpatium pede. Deuiet inde,
  Diffluat à puncto mens variata ſuo;
Nil capiet, nihil ambiguo mutabilis orbe,
  Nil poterit pauido fluxa tenere ſinu.
Omnia quiſquis amat ſtabili comprendere motu,
  Stet medio & conſtans hæreat ille Deo.

Non

Non deficiat Fides tua.

Lucæ 22.

EMBLEMA XXXIX.



——— *Punctum succedat in vnum,*
Et cælo seruire potest. ———

Aeternitatis quisquis optat immensæ
Certam atque tutam possidere mensuram,
Successionis ne moretur in puncto.
Vnum Fideles conglobantur in punctum;

Nec alterum alter conglobatus offendit.
Successionem negligis? Fidem perdis,
Aeternitatis temporumque contemptor.

Necessariam esse perpetuam successionem Fidelium in idem punctum conspirantium; vt eorum Fides certa ac dimensa temporum antiquitate commendetur: secùs si fiat, nihil superesse cui tutò credi possit.

Totus ab exortu cælorum voluitur ordo,
Tota fluunt lapsis sæcula temporibus:
Sed quàm magna fluant, quantus fluat ætheris ordo,
Non nisi conspicuus sol docuisse potest.
Si tamen obscurâ clausum caligine cælum
Auferat ex oculis astra diemque tuis;
Tempora vt ignotos sistas tibi ducta per orbes,
Vt teneas tacito sæcula lapsa pede;
Parua quidem, magni superest tamen æmula cæli
Machina, compositis machina structa rotis.
Illa tibi æternos deducta fideliter annos,
Sæcula quæ orbiculo sed breuiore dabit.
Hanc etiam si fortè aliquis distorserit error,
Iusserit aut fixis stare subinde rotis;
Nempe nihil reliquum est, nisi succedentibus vltrò
Quæ fluit & refluit clepsydra puluеribus.

Cuius

Cuius in exiguum, ſine vi, ſine murmure, punctum
  Labitur, & vacuos implet arena ſinus.
Illa, licet ſolem Ioſue Gabaonis ad oras
  Stare nouis iterùm iuſſerit imperiis;
Quin etiam æthereus ſtellis mirantibus axis
  Hæſerit in gemino fixus vtrimque polo;
Nec menſura ſit vlla ſuper, quæ diuidat horas,
  Diuidat æternum ſigna per vlla diem;
Vna tamen, donec punctum ſuccedet in vnum,
  Perque ſuas patiens ibit arena vices,
Vna, licet nulli ſolet ingenioſa videri,
  Quolibet vna tamen certiùs ingenio
Tempora in æquales errantia diuidet horas,
  Et faciet cæli diſſimulantis opus.
Si tamen hanc etiam ſeu vis, ſeu caſus inertem
  Iuſſerit in curſu denique ſtare ſuo;
Si qua aliis minor aut maior fortaſſis arena
  Seſe obicem puncto fixerit in medio;
Et ſimul antiquum ſucceſſio ducta per æuum
  Aeternam fuerit perdere iuſſa Fidem;
Infelix! iam nulla diem tibi ſuggeret hora,
  Nulla dies ſtabiles eſt habitura vices.
Cum Superis commune nihil, nil denique certum
  Tempora quo cæli dinumerentur, erit.
Non modus vllus erit, qui ſæcula lapſa parentum
  In ſeriem vitæ ducat opuſque tuæ.
Non etiam ille, nouum qui tempora duxit in orbem,
  Aeternum faciens lucifer ire diem,

Notus erit misero. Tanti est successio, tanti est
  Non interruptam posse tenere Fidem.
Tanti etiam puncto dubitet quòd nullus in vno,
  Solus iter clausum qui tenuisse potest.
Et sit adhuc, signis non succedentibus, & sit
  Nescius exactas adnumerare moras,
Qui tamen æternos olim sibi spondeat annos,
  Qui vocet ad numeros sæcula tanta suos?
Nempe Fides, paucas quæ non satis exigit horas,
  Tam longum poterit conciliare diem.

Fides

Fides per Charitatem operatur.
ad Galat. 5.

EMBLEMA XL.



——— *Amor Fidem*
Facit eloquentem. ———

Fides amore destituta, fit muta:
Fides amore prouocata, fit grata
Deo atque cælo; quemque terra miretur,
Nego-

Negotiosum læta prodit in cantum:
Nec plus amoris quàm laboris assumit.
Laboriosam diligis Fidem? casti
Amoris vno fac regatur impulsu.

Fidelis animus in nocte peregrinationis & exsilij sui, Fidem suam aliis desidem & otiosam amando excitat ad operandum; eiusdemque laboriosa suspiria sursum transmittit ad Deum Amorem suum, clauso adhuc cælo reconditum.

O Deus! ô puro numen spectabile cælo!
O Deus! ô citharæ vox animusq; meæ!
Certè amor es, sed amor prohibente reconditus orbe,
O Amor! ô oculis non adeunde meis!
Iam tibi figuntur Superis tentoria campis,
Victori meritæ iam cumulantur opes.
Iam tua te pronò venerantur sidera lapsu;
Iam vigil excubias sol agit ipse tuas.
Quin etiam tacitas lustrans pulcherrima noctes
Luna tuas cursim circuit ante fores.
Hosque ego cùm videam, video nihil vsque quod opto,
Ah nimis à patriâ cogor abesse domo.
Sæpè rogata via est: vetuere sed astra venire,
Quæ stabiles obeunt irrequieta vices.
Millia iam decies scio te centena coronant,
Iamque torum cingunt millia mille tuum.

Vnus

Vnus ego, ô Superi, de tot quoque millibus vnus,
Vnus ab innumeris millibus exsul ago.
Vnus! & intereà cælorum in sedibus altis
Viuis Amor patrio deliciose sinu!
Viue, nec inuideo: sed pauca queramur Amantes;
Pauca, sed illa sacrâ deproperata Fide.
Huc oculis (oculos quis claudat amantibus ipsos?)
Huc Amor, huc oculis exspatiare tuis.
Si modò me videas, ego te vicisse putabor;
Incipietque aliquis dicere, me quòd ames.
Auribus huc (ipsas quis claudat amantibus aures?)
Huc Amor, auribus huc exspatiare tuis.
Certè oculis mediâ stantem me nocte videbis,
Cantantem patriâ te tamen vsque Fide.
Auribus experiere meos sine vindice planctus;
Experiere meam nec minùs inde Fidem.
Dormit iners aliis (aliis puto vilis haberis)
Dormit iners citharâ nil resonante Fides:
Te tamen hi quòd ament, quòd ames quoque prodigus illos,
Audent nempe Fide nil operante loqui.
Non ego sic: sed nox lentos licet humida somnos
Spargat in hîc stantes meque meamq; Fidem;
Sto tamen, & vigiles animans in carmina neruos
Sto vigil ipse tuas, ô Amor, ante fores.
Si petis, vnde mihi labor hic sit nocte canendi,
Quis mihi nocturnum suaserit auctor opus:
Illud amans docuit (nec me didicisse negabo)
Cùm dominæ surdas excubat ante fores;
Cùm querulâ rigidos mulcens testudine postes,
Seque suamque illi vult placuisse Fidem.

Illa


Illa audit: fors & rimam speculata per vnam
 Carmina cultoris spectat amatque sui.
Intereà ros nocte cadit, citharâque canentis
 In caput & pauidam depluit vsque Fidem.
Hei mihi! ros cælo mihi non pluit vnus ab vno,
 Iam geminus geminis ros pluit ex oculis.
In citharam pluit, inque manus, digitosque, Fidemque;
 Non tamen ille Fidem, non grauat ille manum.
Atque vtinam saltē thalamo propensus ab aurêo,
 In cubitumque tuum semi-leuatus Amor,
(O Amor! ô dolor!) inde Fidem sentire, loquentem
 Si paullùm cuperes sustinuisse Fidem!
O si, si cælis vel conniuentibus, vno
 Prospiciens oculo, dissimulante licet,
Conatumque Fidemque meam, tua dona, videres!
 Si cuperes semel hoc dicere: Et hic meus est:
Tunc ego tunc tuus inciperem puto testis haberi,
 Tunc Domino fidus dicerer esse meo.
Tunc etiam fortasse oculo nictante viderem
 Quis sit Amor, citharæ quis sit amantis Amor.
Parce, nec hoc cupio; & cupiam licet, ipsa recuset
 Quæ mihi te visum non finit esse Fides.
Illa Fides, quæ te dum cantat, habere videtur,
 Teque suum cantu prædicat esse Deum.
Intereà tamen ingeminant mihi nocte dieque:
 Dic, vbi; dic, vbi sit, sit tuus ille Deus.
Hæc ego flens, & amore tuo liquefactus, & in me
 Deficiens, toties audio, nec potui

Te

Te ſemel oſtendiſſe oculis mortalibus vnum.
Hoc tantùm potui dicere: Amor meus eſt.
Ille amor eſt meus, ille Deus quem fila loquuntur,
Quem mea ſæpè fuit viſa probare Fides.
Vna (fatebor enim citharæ tibi murmura noſtræ)
Vna fuere Fidem vota ſecuta meam;
Vt cuperes quandoque oculis te credere noſtris;
Vt poſſem ſemel hoc dicere: Et hic Deus eſt.
Vota tamen mihi cæca Fides quoque ſuſtulit illa;
Et ſatis eſſe vnum, dixit, habere Deum.
O ſatis eſt; ſat habere Deum, ſat amare: remotus
Sit licet, & clauſas incolat ille domos.
Meque Fidemque meam ſtimulans agit vnus & vrget,
Vnus Amor reſidem non ſinit eſſe Fidem.
Vrget amor, dolor vrget opus: ſi reddimus illud,
Si tibi noſtra Fides, noſter amatur amor;
Nocte Fides totâ, totâ canet excita nocte,
Nocte etiam clauſas concinet ante fores.
Sic age cara Fides! fors iam fugientibus vmbris
Ille ſub Auroram Lucifer aduenieт:
Fortè breuî veniet, Solemque reducet amicum;
Quo veniente tibi mors puto dulcis erit.

Sponſabo te mihi in Fide: & ſcies quia ego Dominus. Oſee 2.

EMBLEMA XLI.



——— *Puncto iunguntur in vno.*

Aeternus orbe diſſidet Deus toto,
Mortalis, à te. tu puſillus, anguſtus;
Auguſtus ille eſt, ſempiternus, immenſus.
Tu linea, ille eſt circulus. quis hæc iunget?

Quæ

Quæ comparare nullus hactenus nouit,
Licet Archimede plura norit arguto.
Fides sed vno coniugabit in puncto;
Fides sed omni iunget absque contactu.
Miraris? etiam quod stupemus est Verum.

Tenuem humanæ mentis exilitatem cum Dei immensitate, nisi puncto Fidei vnico, conuenire non posse.

AVdieram nullo contentum limite mundi,
Maiorem summis orbibus esse Deum:
Quin etiam per inane vltrà magis, & magis vltrà
Semper, in immensum tendere principium.
Quis modus ô, dixi, qui nos coniungat in vnum,
Qui socium tanto me sinat esse Deo?
Punctus ego, minimoq; minor sum totus; at ille
Circulus est, mundo grandior ille suo est.
Punctus ego; modicũ qui si fluat actus in æuum,
Arctor in angustam linea ducta viam.
Non benè conueniunt, spatioq; morantur in vno
Nullus & immensus, maximus & minimus:
Nil habet ad tantum res tantula. Diuidar ergo?
Diuidar à cælo linea parua meo?
Diuidar vna Deo? Quis me quoque flectat in orbem,
Vt Domino similis dicar & ipse meo?
Cur ego me, licet vsque sinu fugiente laborem;
Cur, licet vsque graui maxima cum gemitu
Experiar tormenta; tamen non conor in orbem
Ipse ego me tandem conuoluisse meum?

Conor;

Conor; at, heu! nequeo. Vaga linea ſemper ab orbe,
Diuidor à Magno linea parua Deo.
Diuidor ergo? nec vllus amor me iunget amantem?
Nullus inexpleto fortis amore dolor?
Vos cæli, vos illuſtres tot in ignibus orbes,
Vos Domino ſimiles quos reor eſſe meo;
Vos ſaltem, vos æternos abrumpite luctus,
Et date ne Domino cogar abeſſe meo.
Dum queror, ecce tibi puncto coniungitur vno,
Qui ſuperimpóſito me tegit orbe Deus.
Eſſe quid hoc dicam? quod credam denique punctum,
Quod tam diſſimiles compoſuiſſe poteſt?
Eſſe aliquid? nihil eſſe? ſatis: coniungimur illo.
Quis neget hanc, ipſam Numinis eſſe Fidem?

LIBER

LIBER II.

EMBLEMATVM DE SPE.

IN LIBRVM II. EMBLEMATVM DE

SPE


PROGRAMMA.

HActenus, obscuro quà semita tuta profundo,
Fleximus adductâ vela secunda Fide.
Fallor; an acta feris Aquilonibus imminet aura,
Et sonat impulsis cana procella vadis?
Anchora siste viam. Spes *me iuuet vna timentem;*
Si qua procella ratem verberet, illa ferat.
Anchora iacta salo est: cursum cohibete carinæ;
Flamina certantes rauca tenete Noti.
Anchora fixa solo est: fida iam state carinæ;
Atque aliquod, cursu quod leuet in medio,
Deproperate melos. Spes *vna tuebitur omnes;*
Bella procellosi leniet illa maris.
Colludet placidus tranquilla per æquora delphin,
Et socium iungent monstra marina latus.
Scilicet admissos abigat Spes *vna timores;*
Et referat pulsos Spes *mihi sola metus?*

Spes *me certa iubet ventis melioribus vti;*
Inuida cum rabidis flabra tacete Notis.
Spes *iubet vna modis numerisq; fidelibus vti;*
Vtimur. vndeni longiùs ite pedes.
Ite quiescentis tabulata per alta carina;
Hac patet in cursus meta secunda meos.

IGNEO DIVINITATIS ARDORI
CVM
RIGIDO HVMANITATIS ALGORE
IN VNO IESV
MIRABILITER AMABILITERQVE
COMPOSITO S.

Candor lucis æternæ, Speculum ſine
maculâ, imago bonitatis. *Sap.* 7.



Ardet, & alget.

Quæ monſtra? ſummum frigus, & ſummus calor.

Speculi nitentis orbe ſincero emicans,
Vi temperatâ frigus ardenti inijcit,
Rigido calorem. frigidam Diuinitas
Humanitatem iunxit ardenti ſibi,
Solemq́; ſe probauit. Hoc Speculo tuos
Niſi ponis ignes, ponis & frigus tuum,
Sine mente viuis. ———



CAN-

CANDORI LVCIS AETERNAE,
SPECVLO SINE MACVLA,
IMAGINI BONITATIS,
CANDORI
QVEM SOL ÆTERNVS IN SE REFLEXVS
INCENDIT;
SPECVLO
IN QVO SE IPSE SOL DIVINVS
AGNOVIT;
IMAGINI
QVAM SEMPER VT SVAM
SOL PVLCHERRIMVS
ADAMAVIT;
VERÆ LVCI,
DE INACCESSO LVMINE
LVMINI INEXHAVSTO,

VERBO
VNI ET SVMMO,
INCREATO, INCARNATO,
DEO ET HOMINI
CHRISTO IESV,
SPEI ET SPECIEI NOSTRAE,
EMBLEMATICAM HANC
SPEM
SED PER SPECVLVM
SACRAM EXHIBEO.

Iam dudum fluere, & retrò sublapsa referri
Spes *homnum fractis cœperat auxilijs.*
Nox & noctis vbique metus, & vbique dolores,
Frigoraq; in profugi sede caloris erant.
Notus erat cælo, sed non erat agnitus orbi,
Æternum placido qui facit ore diem.
Ille diem cælo, sed non dabat abditus orbi:
Auersum retrò sensimus ire Deum.
Annus erat toto semper sibi concolor anno;
Vllus in obscuro si color esse potest.

Num-

Numquid Hyperboreas orbis prolapsus in vmbras,
Sphæraq; ab erecto versa repente situ est?
Attonitis ego sic animis, nec inanè, querebar.
Tota erat euerso sphæra reuulsa polo.
Quiq; status rectis fuerat mortalibus olim,
Heu fuerat! verso non erat ille Deo.
Actum erat, in nostras Speculum *nisi ductile terras*
Traxisset casu prosperiore diem.
Hoc simul vt vidi, vultumq; videntis in illo;
O quis in hoc, dixi, quis latet orbe Deus!
Certè aliquid maius mundo latet: aut Deus hîc est,
Aut homo; sed magni grandior oris homo est.
Sol erat in Speculo, *sol formosissimus, illo:*
Igneus in Speculo *vultus amantis erat.*
Ignis erat Speculo, Speculum *candebat ab igne;*
Et simul in Speculo *frigus & algor erant.*
Dextera fors illo fuerat manus orbe recepta:
Hei mihi, sollicitam quis trahet inde manum,
Ne fluat illa foco Speculi *flammante perusta?*
Sic ego: sed flammis non erat vsta manus:
Frigida erat manus, & veluti si fonte perenni
Mersa foret, nullo victa calore manus.
Dicebam: Deus hîc aliquis, vel conditur error;
Error in hoc, aliquis vel latet orbe Deus.
Sic erat. Orbe decus cæli viuebat in illo:
Ille diem terris, & dabat ille Deum.
Nec minùs in Speculo *gelidi natiua metalli*
Massa superfusi plena rigoris erat.
Hinc simul ardet & alget, amansq; dolensq; sub vno
Duplex Natura principium orbe tegit.

 O Spe-

O Speculum! *ô generis species* Spesq; *vltima nostri*,
Cuius ab effuso terra nitore calet;
Cuius in ardenti fit homo spectabilis orbe,
Cuius homo à radijs seq; Deumq; capit,
O quid amare iuuet nisi te! quid postulet vltrà
A desiderijs mens licet ægra suis!
Astra petat? videt hîc aliquid formosius astris.
Cælum amet? hîc, cælo plus quod ametur, habet.
Fortè diem roget atque Deum? sed vtrumq; sub aureâ
Planities Speculi *concaua nube tegit.*
Consimilem petat ipse sibi mortalis? in illo
Consimilem sibi, quem spectet ametq;, videt.
Intereant elementa, ruat natura, dehiscat
Machina terrena puluerulenta domus:
Quin etiam, circumpositis quod nititur astris,
Sidereum ingenti mole fatiscat opus:
Tu modò ne, mea Spes, *tantis succumbe ruinis;*
Ne rapiant Speculum *terra vel astra meum.*
Sic constans ego, sic vultu non territus vno,
Natura potero damnâ videre mea.
Illa mihi Speculo *facies quæ ridet in isto,*
Auroræ facies non abeuntis erit.
Illa mihi sidus cælumq; vocabitur ipsum,
Sol meus illa mihi, sol Deus esse potest.
O Speculum! Speculo *quid non speremus ab isto,*
Auersum potuit quod reuocare Deum.

Habebis

Habebis fiduciam, propositâ tibi Spe, & defossus securus dormies. Iob. 11.

EMBLEMA I.



——— *Iuuat fessos.* ———

Sententia Emblematis 1.

——— Spes est dura; sed lenit tamen
Viæ labores. Non solet tranquillitas
In delicati pectoris molli toro

Secura permanere. Spe durâ iacet
Securitas. Spes dura tranquillum facit
Sibi incubantem. sæuiant venti licet,
Dominentur vndæ; somnium ex illis tamen
Spes dormienti facere iucundum potest.

A peregrinationis incommodis, & exspectatione longâ suæ patriæ, miserè fatigari animum viatoris hominis; respirare tamen eum posse, si in Spem suam etiam fessus incubuerit.

PRouchimur portu, terramque relinquimus illam,
Quæ natum gremio prima rigente tulit;
Impofuitque rati, quam nullo robore fultam
Aequora certatim vasta Notique premunt.
Imus in oppositum per aperta pericula littus,
Tendimus in portus altera terra tuos;
Terra, fatigatum quæ me nisi suscipis olim,
Deterior quauis vita futura nece est.
Quæ cælo quàm nota, solo tam incognita nostro,
Diceris æstiuos semper habere dies:
Diceris æterni placidos tibi veris honores
Nubis inexpertâ conciliare face:
Diceris hærentem cælo tibi sistere solem,
Et stabili hinc semper conditione frui.
Illa parum felix; felix nimis altera terra:
Vtraque sollicitæ causa sat ampla viæ est.
Illa iubet fugiam, properem iubet altera terra;
Sed nimis immensum iungit vtramque mare.

Ingre-

Ingredior tamen : hinc cælum quò tendimus; inde
Terra relinquenda est: vtraque iusta via est.
Iamq; peregrinum fragili rate findimus æquor.
Audaces posito mors facit ipsa metu.
Sæpè laborantis subductus in ardua mali,
Prospicio patriæ littora cara meæ;
Littora, sed non illa volens quæ prima reliqui;
Littora, sed cupidam quò vehit vnda ratem.
Nil tamen aspicio nisi quod finit æstus & aura:
Effugit ex oculis vltima terra meis.
Sæpè gemens dixi : Nimiùm mihi tarda videntur
Aequora, tarda nimis flamina, tarda ratis,
Tarda via,& lentæ quoque tarda pericula vitæ,
Tarda etiam optanti sunt mea vota mihi.
O ego, si scirem tumidis quòd raptus ab vndis
Pronior in patriam cogerer ire meam!
Si scirem, positâ quòd onus lacrymabile vitâ
Defluerem celeri per vada salsa mari!
Hinc ego me citus in fluctus, citus æquora mittens,
Errarem indomitas lætior inter aquas.
Ipse mori hìc cuperem,pelago proiectus ab imo,
Vt patriâ vel sic contumularer humo.
Certè anima hæc prior immanes transuecta per vndas
Exciperet socio corpus inane sinu.
Quin etiam hoc vitâ rigidum gauderet ademptâ
Se priùs intuitu sic periisse meo.
Hei mihi! vota quidē;sed sunt tamen impia vota,
Quæ meus in patriam fundere cogit Amor.


Non licet in vacuos missâ rate currere fluctus;
  Curreret aduerso perditus ille Deo.
Quid superest? Super vna suos amplexa rudentes
  Anchora compositum porrigit ecce latus.
Anchora Spem nobis promittit, & otia spondet,
  Otia tam longas apta leuare moras.
Excipio (sint dura licet solatia) pronus,
  Excipio geminas in mea vota manus:
Excipio; excipiorque simul Spe totus ab vnâ:
  Et sensim clausis deficiens oculis,
Sensim deficiens capite in latus inclinato,
  Languidulis sensim deficiens manibus
Et pedibus, somno super obruor. O mihi si fas
  Dicere, Spes qualem præbeat illa torum!
Qualis in hac, quali compostus pace quiescam,
  Ipse mei propè iam nescius exsilij!
O ego, quàm læto canerem mea gaudia planctu!
  O ego, quàm gratas ductus ad exequias
Læta soporifero mulcerem funera cantu,
  Mollibus hæc voluens carmina sub labiis!
Incubet ille rosis, Tyrio cubet alter in ostro,
  Alter olorinis stertat in exuuiis:
Dura, tamen placido mea Spes mihi lenior ostro est;
  Mollior est plumis, blandior vna rosis.
Luce fatiscentes fouet illa suauiter artus;
  Nocte soporiferæ dona quietis habet.
Luce meis teneras oculis superiniicit vmbras;
  Nocte animo vigiles cogit abesse metus.
Hæc desiderium patriæ fugientis acerbum,
  Tædiaque immensæ contrahit ampla viæ.

Hac

Hac sociâ, colluctantis vis rauca procellæ
  Lene susurrantes esse videntur aquæ:
Hac decertantes aduerso turbine venti,
  Horribilesque Noto bella mouente tubæ,
Vox citharæ, respirantis vox languida cannæ,
  Et placidæ fiunt vox moderata lyræ.
O quam te memorem mea Spes! Te quisquis in vnâ
  Somniat, immanes nil metuens tenebras,
Non freta, non profugo maria indignantia soli,
  Nulla timens cæli monstra, nec vlla sali,
Quàm placidas agit excubias! alternaq; miscens
  Somnia tranquillas nata per illecebras,
Quàm faciles patitur noctes! quàm denique, summâ
  Exoriente die, dulciter euigilat!

Post tenebras spero lucem. Iob. 17.

EMBLEMA II.



Dum spiro, spero. ———

——— Spirare dum sursum potes,
Sperare poteris. Prona spirantem occupat
Spes lapsa cælo; quamque subduxit furor

Popu-

Populantis auræ, luce naſcentem ſuâ
Vitam reducit. Tanta deſperet bona,
Spirare qui nil ſpiritû amiſſo poteſt.

Lucerna, licet extincta, ſi modò adhuc ſpiret, flammam in ſe lapſam ex alto ſperat & accipit; cur igitur, quamdiu ſpirat, venturam ſibi è cælo gratiam, hoc eſt nouam vitam animæ, homo deſperet?

CVm ſubit illius pulcherrima lucis imago,
Quæ capiti quondam fulſit amica meo;
Cùm repeto vultus diuini lumen, & ignes
Qui mihi præſentem conſtituere Deum,
Candidaque æterni mihi ſigna fuêre ſereni;
Spes fluit ex animo denique ſera meo.
Ergo dies numquam, nec lux erit vnica nobis,
Lux oculis quondam delicioſa meis?
Semper inhoſpita nox, nox intempeſta tenebit,
Obruet æternum nox tenebroſa diem?
Frigus iners ſemper profugum populabitur ignem,
Quæque per illa ſequi mors ſolet, hos animos,
Hoſque oculos nullis pro me certantibus vrgens,
Immeritæ coget iura ſubire necis?
Vos æterni ignes, vos noctem ſidera noſtram
Aſpicite, & caſti luminis huc aliquam
Ferte facem, atque animam hanc lentæ ſubducite morti;
Ah nimiùm longam mors habet illa necem!

Talia

Talia ego ad modicæ pallentem lampadis ignem,
Nocte vigil, nullo teste, locutus eram:
Ecce per aduersam penetrabilis aura fenestram
Fertur in exiguam missa repentè facem;
Et subitò, veluti si non satis vna timenti
Nox foret, ecce aliam rapta lucerna facit:
Hæc tamen ad flammam quasi si suspiret ademptam,
Spirat, & in fumum soluitur exiguum;
Vmbrosumque leui dispensans stamine filum,
Insequitur profugam per loca summa facem.
Ocyùs arentes inflammans sulphure tædas,
Ad solitam propero dum morientis opem,
Ipse supra nubem faculæ fugientis in auras
Errantem video me tenuisse manum.
Ergo deorsum vrgens morientis ad ora lucernæ,
Vix dederam pronæ dona remota facis;
Ecce per extinctæ funus lacrymabile flammæ,
Per tenues viduæ lampadis exuuias,
Ex alto noua flamma cadit. Sic fortè serenis
Egrediens vernæ noctis ab excubiis,
Stella facem ducens cælo fugit;atque iter ingens
Designans fuluo tramite, gramineos
Decidit in colles, vel aprici pascua campi;
Decidit, & simul hîc protinus emoritur.
Non ita sed mea flamma, meam quæ lampada tangens
Viuit, & hanc vitæ viuida restituit.
Hæc ego perspiciens, Cur desperabimus, inquam,
Sit licet in fumos flamma redacta meos?

Si

Si ſpiramus adhuc, cur deſperabimus, inquam,
Sit licet amiſſo vita ſubacta die?
Nempe animam cælo poterit deducere lampas,
Lampas inexhauſtus quæ modò fumus erat:
Nempe per emiſſam poterit ſibi iungere nubem,
Spirandoque ſuam rurſus habere facem.
Aſt ego, cui ſummo mens enthea vixit ab igne,
Igne ſed heu! patrias iam repetente plagas,
Ipſe ego nequidquam cælo lacrymabile fumans,
Exſpiranſque animæ viſcera, nil valeam
Spirando ſperare? nihil Spes pendula cælo
Perque meos gemitus lapſa referre queat?
Quippe vetor fatis vrgentibus. Ibimus ergo?
Ibimus? & meus hic ſpiritus in tenuem
Deficiens, ſine Spe, ſine lumine, diffluet vmbram,
Quam premat æternâ nocte perenne chaos?
Nam quid adhuc miſero ſuperat mihi? Vota ſuperſunt,
Quique vel extremo fumigat ore dolor.
Spes abiit: ſed adhuc non dedignantibus aſtris
Spirat anhelantis viua lucerna animæ:
Hoc ſatis eſt. Illos dum ſpiritus hic alet artus,
Dum fluet his vllus ſpiritus è labiis,
Spirabo, & ſperabo. Viam fortaſſe per illam
Decidet in noſtros flamma reducta ſinus.
Tu modò, tu mea flamma ſuper me pendula, tu me
Reſpice; tu vacuo ſuſcipe cum gemitu
Vltima quæ tenui ſuſpiria ducimus ore:
Suſcipe, quam lentè deficientem animam
Cum deſideriis morientibus exſpiramus.
Suſcipis? exſpiro denique & emorior

Securus;

Securus; morior Spe certâ plenus, ademptum
Quòd mihi ſol lapſu reddet amante diem;
Quòd vitam dabit amiſſam, quòd corporis huius
Relliquias animâ nobiliore teget.
Fortunata lucerna facem quæ perdidit! illam
Spirat enim, & ſperat rurſus, habetque facem:
Fortunata ſed ante illam mea vita; vel ipsâ
Quæ modò morte Deum ſpiret, habere poteſt.

Spes

Spes nostra firma sit. 2.Corinth.1.

EMBLEMA III.



— *Etiam à lapsu stat firma, suisque*
Casibus erigitur. ———

——— A lapsu quoque
Spes certa constat. Quisquis à casu tuo
Abiectus hæres, quisquis auersus Deo
Tellure pigrum pondus extremâ iaces,
Sperare non vis. Casibus constantior,
Spes à ruinâ maior assurgit suâ,
Cælumque spectat. ———

Vbi

Vbi deiecta fuerint omnia, posse & solere Spem vnam ruinas inter maximas erectam stare.

POstquam res hominum, generis res prodita nostri
In latus ancipiti turbine lapsa fuit,
Nosque suo simul inuoluit temeraria casu;
Vllam homini in tantis Spem superesse malis,
Attonitis superesse vllam Spem denique rebus,
Qui satis auderet credere, nullus erat.
Et tamen illud erat quòd in ipsis casibus vnus
Stans, etiam euersis omnibus, eminuit
Altior è rebus mortalibus, altior orbe,
Pænè suo factus par similisque Deo.
Cùm sperare nihil poteris, sperare licebit
Omnia. Spes lapsu statque manetque suo;
Numquam fixa magis, quàm cùm grauis impetus illam
Ore suam prono mandere iussit humum.
Lapsus erat patiens, & constantissimus ille,
Ille Deo charus, proximus ille Deo;
Lapsus erat, lapsumque super grauis orbis, & amplum
Naturæ ingenti mole iacebat onus:
Iamque sedens miser in putri telluris aceruo,
Spe tamen arrectos inde leuans animos
Dicere sustinuit: Tellus mihi tota dehiscat,
Maximus immenso me Deus orbe premat,
Luctantemq; subinde animam à luctante reuellat
Corpore; tot certè pressus vbique malis


Sperabo

Sperabo tamen, & conſtans Spe ſemper in vnâ
  Caſibus aſſueſcam celſior ire meis.
Dixit, & in dicto firmus ſtetit: ardua donec
  Spes ſibi conſtantem duxit in aſtra virum,
Exemplumque ingens orbi dedit. Ite ſolutæ,
  Sub leuibusque ſtatim caſibus exanimes
Nunc titubate, iacete animæ: ſurrecta tenaxque
  Spes mihi, & elatâ mole ſuperſtes erit.
Debilis à quouis nutet conſtantia caſu,
  Spes ſolet à lapſu firmior eſſe ſuo.

Tri-

Tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio verò Spem; Spes autem non confundit. Rom. 5.

EMBLEMA IV.



Abiecta, non euersa. ———

——— Spes quouis situ
Erecta, semper similis & constans sibi,
Nisi certa non subsistit: abiicias licet,
Tamen ipsa spes abiecta quod speres dabit
Etiam ante votum. ———

Spem

Spem nullo casu, iacturâ nullâ euerti posse, quandoquidem iacturâ ipsa suâ & casibus erigatur.

CVm primùm, certante Deo, spectantibus astris,
Alea pomiferam fugit iniqua manum;
Lapsaque funestum posuit mortalibus omen,
Et cecidit, quo non debuit esse loco;
Spes abiecta quidem vitæ fuit vltima nostræ,
Non euersa tamen Spes simul inde fuit.
Illa quidem intremuit, primoque exterrita lapsu
Dicitur attonitum vix tenuisse latus:
Tandem erecta tamen cælo stetit. Ipsa parabant
Promeritam nobis debita iura necem;
Exitium crudele parens natura dolebat,
Ipsaque vita, suæ nuntia mortis erat:
Non euersa tamen, nec tanto prodita casu,
Spectabat facilem Spes animosa Deum;
Auxiliumque malis sibi promittebat in illis,
Disponens animo gaudia certa suo.
Nec sibi stulta fuit, nec Spes se vana fefellit;
Subdita mors vitâ nobiliore fuit.
Infra hominem abiecit primus mortalia casus,
Supra hominem hæc iterùm Spes magis aucta tulit.
Vsque adeò licet in summas abiecta ruinas,
Stat tamen, extremis erigiturque malis.
Si gemat acta ratis mare perturbantibus Euris,
Ne grauis in Syrtes in scopulosque ruat,
Iacturam


Iacturam facit ipse volens mercator; & ecce
Cum rate Spes tandem certior erigitur,
Spes vitæ, Spes fortunæ melioris, & auræ
Quâ teneat portus læta carina suos.
Spem messis, Spem quam tales seruauit in vsus,
Abiicit in patriam fessus arator humum;
Et canit abiiciens: quia scilicet inde recedens,
Prospicit à iactu Spem, licet ambiguo,
Erectam fore. Post hiemes, & iniqua coloro
Frigora, post luctas grandinis atque niuis,
Post pluuias, validosque Notis populantibus imbres,
Aspice vt ad solem surgat adulta seges;
Spemque bonæ messis, Spem secum fertilis anni
Erigat in certas posteritatis opes.
Alea lusorem quæ sæpè fefellit auarum,
Amissas semel abiecta reducit opes.
Fortè tumescentis pingenda coloribus vndæ
Spuma leuis fuerat: picta subinde fuit;
Picta semel malè, picta iterùm, malè denique picta,
Arte nihil quidquam proficiente fuit.
Scilicet indignans post tanta pericula pictor,
Inuisam casu proiicit in tabulam
Instrumenta suum malè dispensantia munus;
Atque aliò hinc, ad opus non rediturus, abit.
Iamque ibat, cùm fortè oculo respexit iniquo
Non benè promeritum iura laboris opus.
Vidit; & ecce suâ quam non benè pinxerat arte,
Perfectâ spumam respicit in tabulâ,
Ludentem spumam, spumam quam Nereus ipse
Crederet allisis intumuisse vadis.

Fecerat

Fecerat hanc casus, Spes hanc abiecta sagaci
  Certiùs & citiùs fecerat ingenio.
Credite mortales; vbi Spes abiecta videtur,
  Spes venit, & casu tollitur alta suo.
Cùm proscriptus Adam, cùm nudus, inermis, & exspes
  Non benè commissam verteret exsul humum,
Deliciasque breues, quas non cognouerat antè,
  A longo tandem disceret exsilio;
Disceret à lacrymis, exantlatique laboris
  Heu nimis exiguo disceret à pretio;
Cùm vix posset homo dici, vix posset haberi
  Auspicium generis principiumque sui;
Cùm nil sciret, amare nihil nisi perdita posset,
  Spes super abiecto denique nulla foret;
Tunc quam non habuit, potuit sperare salutem,
  Tunc potuit tandem dicere: Post aliquot
Sæcula, progenies mea me mirabitur olim,
  Cùm Deus ipse meo è sanguine natus erit;
Cùm mortalis & æternus coniunctus in vnum,
  Pænè Deo quidquam plus quod ametur erit.
Spes abiecta feris hominem sociauerit ipsis:
  Spes erecta hominem sed dedit esse Deum.

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.
Iob 13.

EMBLEMA V.



——— *Spes longior ipso ex-
Tenditur occasu.* ———

Spem longiorem summa promittit dies,
Et adhuc vereris summa ne lux sit tibi
Quæ prima fulsit? ortus, occasus mihi
Sine sole medio fiat, & vitam auferat
Etiam ante vitam. Moriar: elato tamen
Spes longiorem longior vitam dabit.


Non

Non esse homini de huius vitæ breuitate querendum, quandoquidem ab unicâ etiam & extremâ eiusdem horâ Spes vitæ melioris longissima prorogetur.

SPes mihi venturæ si non foret altera vitæ,
Sentirem celeres sic properare dies;
Et benè vix ortos in lapsum vergere soles,
Materies lacrymis esset acerba meis.
Exspectate breues saltem mea funera menses;
Quid iuuat extremos anticipare dies?
State mei paullùm, paullùm subsistite soles;
Iuuerit hîc lacrymas fortè videre meas.
State (precor, non cogo) mei, mea lumina, soles;
Non ego vos testes ad fera bella voco:
Fecerit hoc Iosue: testes medicique dolorum,
Quos patior, paullùm state, manete mei.
Vtile consilium est, miseris assistere rebus.
Non decet à visis longiùs ire malis.
State, diemq; mihi qui proximus instat, & vrget,
Extremo saltem stare iubete die.
Hæc ego, Spes nisi certa nouæ foret altera vitæ,
Auderem iusto sæpè dolore queri.
Non pudor est quod habes retinere tenaciter vnum;
Non pudor est vno nolle carere bono.
Non pudor est, si nulla super sit vita, fugaces
Cum gemitu & lacrymis velle tenere dies.
Non pudor est viuo totidem sibi poscere soles,
Quot ferus in siluis coruus & anguis habet:

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo.
Iob 13.

EMBLEMA V.



——— *Spes longior ipso ex-*
Tenditur occasu. ———

Spem longiorem summa promittit dies,
Et adhuc vereris summa ne lux sit tibi
Quæ prima fulsit ? ortus, occasus mihi
Sine sole medio fiat, & vitam auferat
Etiam ante vitam. Moriar : elato tamen
Spes longiorem longior vitam dabit.

Non

Non esse homini de huius vitæ breuitate querendum, quandoquidem ab unicâ etiam & extremâ eiusdem horâ Spes vitæ melioris longissima prorogetur.


SPes mihi venturæ si non foret altera vitæ,
Sentirem celeres sic properare dies;
Et benè vix ortos in lapsum vergere soles,
Materies lacrymis esset acerba meis.
Exspectate breues saltem mea funera menses;
Quid iuuat extremos anticipare dies?
State mei paullùm, paullùm subsistite soles;
Iuuerit hîc lacrymas fortè videre meas.
State (precor, non cogo) mei, mea lumina, soles;
Non ego vos testes ad fera bella voco:
Fecerit hoc Iosue: testes medicique dolorum,
Quos patior, paullùm state, manete mei.
Vtile consilium est, miseris assistere rebus.
Non decet à visis longiùs ire malis.
State, diemq; mihi qui proximus instat, & vrget,
Extremo saltem stare iubete die.
Hæc ego, Spes nisi certa nouæ foret altera vitæ,
Auderem iusto sæpè dolore queri.
Non pudor est quod habes retinere tenaciter vnum;
Non pudor est vno nolle carere bono.
Non pudor est, si nulla super sit vita, fugaces
Cum gemitu & lacrymis velle tenere dies.
Non pudor est viuo totidem sibi poscere soles,
Quot ferus in siluis coruus & anguis habet:

Tot soles spectare hominē, quot inhospita fertur
Noctua desertis viuere culminibus.
Nunc ego non queror illa: citi citò currite soles,
Currite, cum raptis currite sideribus;
Conatuque omni, quidquid polus vrget, obite
Fortius: vna dies sit velut hora mihi:
Ortus in occasum momento vergat; & illuc,
Si velit, æternùm non rediturus eat.
Quin etiam tempus quod viuimus, omne repentè
Contrahat in minimam prodiga vita moram.
Nil moror. Exiguo moriar licet obrutus æuo,
Quæque tulit natum, mox ferat hora senem;
Maturus tamen emoriar. Spes altera, & illa
Longior occasu nempe futura meo est.
Spes immensa, secuturæ Spes maxima vitæ,
Illa reposta sinu Spes morientis erit.
Aspice (ne tibi fors verbis fallacibus vsus
Dicar in incertam vanus abisse fidem)
Aspice quanta, breuis licet & vix vlla putetur
Anchora, deuexo facta sit illa die:
Quantæ per spatium terræ procul extendatur,
Pronus in occiduas sol vbi fertur aquas.
Vitæ summa breuis longam promittit, & amplam
Spem facit; æternum prorogat illa diem.
Porrigit occasus, quam non satis explicat ortus,
Quam medio nullus sole tenere potest.
Qui volet ergo suos vultum conuertat ad ortus,
Sollicitúsve diem dirigat ad medium.
Spectet ametq; suos quibus ardet & vritur ignes;
Me iuuat extremum semper amare diem.

Scio

Scio quòd Redemptor meus viuit, ... reposita est hæc Spes mea in sinu meo. Iob. 19.

EMBLEMA VI.



——*Mors sola docebit*
Quàm fuerit Spes ampla mihi.——

——— Spes est certa, sed certam tamen
Non ante mortem. debitum Spei vltimæ
Mors sola soluit: quisquis hîc semper cupis
Vixisse, Spem depone. Qui metuit mori,
Solius heres esse damnatus potest
Mortalitatis. ———

Esse nunc quidem cùm animo tum corpori dolenda quàm plurima; debere tamen eos se inuicem consolari certâ ac testatâ Spe mutua hereditatis, morte feliciter obitâ, adeunda.

VNus ego, at geminos in me tamen vnus amores
Quamlibet angusto dicor habere sinu.
Corporis hic, solet ille animi, puto, nomine dici;
Quisque suis secum gaudet ouatque bonis.
Sed tamen, afflictos mala quæ communia terrent,
Quemque suo faciunt sæpè dolore queri.
Quò mihi (corporis hæc sunt vota miserrima nostri)
Quò flammis oculi sideribusque pares,
Si toties falsis vitiantur sidera nimbis,
Si toties flammis obstrepit vnda meis?
Est aliquid quandoque palàm sua regna videre,
Aethereisque oculos pascere deliciis:
Plus tamen est, plus nempe mali est sua damna videre,
Horrendisque oculos casibus obruere.
Est aliquid sentire; malū est sentire quod obstat:
Læditur, heu! sensu sensus vbique suo.
O anime! ô saltem si te quandoque viderem,
Deque tuis possem pauca tenere bonis!
O ego tunc! Similes animus mouet inde querelas,
Diuidit alternas luctus vterque preces.

Non


Non ego, nil patior. patientia iam propè victa
est.
Vndique tot mea sunt omnia mersa malis.
Velle, bonum est; meminisse, bonum est; & mente
sagaci
Cuncta velut coràm posse videre, bonum est.
Hei mihi sed mala velle, malum est; meminisse
doloris,
Ipsa velut coràm fata videre, malum est.
Hæc animus corpusque dolens sua fata gemebat,
Dum tantis motus quilibet à lacrymis.
Alter in alterius sua commoda transtulit vsum,
Heredemque sui scripsit vtrumque boni.
Assensere poli, testamentumque sigillans
Fecit ab euentu pondus habere Deus.
Nunc ergo gaudete mei, mea vita, gemelli:
Quilibet alterno munere diues erit;
Olim diues erit, cùm tot sperata per annos
Diuidet emerito gaudia cum socio.
Tunc ego vobiscum, tunc vos lætissima mecum
Ducemus longis sæcula temporibus.
Corpus iners modò, tunc animi penetrabilis in-
star,
Instar inoffensi fulminis, ingrediens
Momento per opaca soli, per inania cæli,
Proruet emissis mobilior Zephyris.
Ignea tunc oculis Phœbeæ lampadis instar,
Ignea tunc manibus, ignea tunc pedibus,
Ignea perque omnes lux exspatiabitur artus:
Omnia tunc liquidi fluminis instar erunt;
Cuius aquas summo radians sol purus Olympo,
Fecerit immisso lumine perspicuas,

Fecerit igniti ſimiles ſplendoribus auri,
Candentique pares fecerit eſſe vitro.
Tunc morbis procul hinc ſe proripientibus, ipſâ
Inuidiâ procul hinc, interituque procul,
Corporis æternum faciet concordia nexum,
Et dabit vt certâ ſtent elementa Fide.
Tunc animo, immortali animo ſeſe ingeret ipſe
Senſus; & è puro corpore delicias,
Delicias incorruptas facileſque propinans,
Innocuis totum merget in illecebris.
Tunc poterit, ſine nube, oculis radiantibus vti:
Tunc poterit manibus, tunc poterit pedibus
Siderei peragrare ſolum penetrabile cæli:
Tunc poterit caſto veris odore frui:
Tunc guſtare merum diuini roris, & imis
Auribus æternum conciliare melos.
Sic agite & perſtate mei, mea vita, gemelli;
Sic agite, &, quamquam ſors modò dura premat,
Durate, & vitæ reduces ſeruate ſecundæ
Præfixum ſtabili conditione diem.
Spes hoc certa quidem; ſed adhuc tamen abdita mandat,
Teſtatam cupiens morte fuiſſe Fidem.
Exſpectare diem ſupremaque funera mandat,
Mortalem fato iam properante diem.
O quis, vt hanc in Spem veniat certiſſimus heres,
Non cupiat quauis bis quoque luce mori!

Fiduciam

Fiduciam & gloriam Spei vsque ad finem firmam retineamus. ad Hebr. 3.

EMBLEMA VII.



——— *Non ipsâ in morte relinquam.*

——— Spem iunctam sibi
Quicumque viuus tenuit, adiunctam quoque
Moriens tenebit. Spes boni quantum adferat,
Viuendo quisquis didicit, hoc etiam magis
Moriendo discet: Patriam amittit lubens,
Et se suamque deserit vitam lubens,
Ne Spem relinquat. ———

Patria cælestis ac beata, quò tendimus, æternitatis Spem, in quam nos ipsi gignimur & educamur, nullis vmquam casibus esse deserendam.

FOrtè procellosi post victa pericula ponti
Fixerat emeritas anchora fida rates,
Anchora sollicito pelagi non iacta profundo;
Anchora sed vernum iussa tenere solum
Littoris irrigui, faciles vbi limpidus amnis
Per vada camporum pinguia ducit aquas.
Ecce tibi ventus. Disceditur, itur in altum,
Prouehit egressas amnis & aura rates.
Anchora, siue fuit neglecta vocantibus Euris,
Seu potiùs subito libera facta Noto est,
Fixa solo mansit, totoque tenaciter vnco
Ipsa suam sibimet prouida fodit humum.
Ver erat, herbosi surgebant vndique fœtus;
Ver erat, in frondes picta virebat humus.
Ergo vbi vernantē præmordens anchora terram,
Nuper aquis aditum fecerat irriguis;
Ecce recens nato proserpens germine vitis
Visa fuit rigidum velle fouere latus:
Dum tandem tortis in spiram texta corymbis
Anchora tota velut vitea facta fuit.
Hanc ego (mœstus enim patriâ procul vrbe vagabar
Fluminis irriguas propter euntis aquas)
Hanc ego respiciens, lacrymis mirabar obortis
Sollicitum teneri fruticis ingenium.


Et

Et simul ecce reuersus adest, qui littore nuper
  Vincula festinæ liquerat vnca ratis;
Exiliensque leui saltu procedit, & vnà
  Hæc secum: Certè hîc anchora iacta fuit;
Atque eccum iacet ipsa solo defixa fideli
  Anchora pampineis vndique tecta comis.
Dixerat; & totis connitens viribus vncum
  Extrahit. Herba mihi hîc visa subinde queri
    est;
Et dubitare, moretur humo proiecta, vel vncum,
  Quo prognata fuit, pergat amare latus.
Dum dubitat, guttasque inter discrimina mittens
  Flet veluti, latis protinus ex humeris
Anchora dependet: tenet hanc, sequiturque tenendo
  Mordicus adstrictis vitea stirps manibus.
Nec minùs arridet quàm cùm modò iuncta maneret,
  In patrioque simul cresceret vda solo.
Spem tenet ergo suam, *nec in ipsâ morte relinquit*,
  Sed patriam moriens herba relinquit humum?
Spem sequiturq; tenetq; suam secura? nec vndas,
  Nec timet irati prælia dira maris?
Et potero Spem, fata licet vicina minetur
  Parca mihi, atque aliò Spem ferat illa meam,
Deseruisse meam potero crudelis, & vdæ
  Telluris nimiùm me retinentis amans,
Serpere proiectæ velamen inutile terræ,
  Mox etiam versâ fortè tegendus humo?
Quippe tenet natura meis contraria votis;
  Quæque dedit primùm viuere, terra tenet.

Te sequar, ô mea Spes, ipsâque tenaciùs hærens
Morte tibi, amplexu non abeunte sequar.
Te sequar in fluctus, in aperta pericula ponti;
Te sequar in medij regna proterua maris.
Te sequar in portus; vbi tecum rursus in vdam
Missus humum, & molli conditus in tumulo,
Exspectem patrij ver immortale sereni,
Incipiamque iterùm fronde virente tegi.
Sic age, me mea Spes tecum rape. Quem sua tecum
Fata vocant, totus non solet ille mori.

Non contristemini, sicut & ceteri qui Spem non habent. 1. Theſſ. 4.

EMBLEMA VIII.



—— *Spes lucis amœnior ipſo*
Surgit ab occaſu. ——

———— Lucis occaſum tuæ
Natura quid fles? quaſque ſubduxit dies
Lacrymas reſumens, rore te mergis tuo,
Pariterque ſolem? lux ab occaſu amplior,
Magis ampla Spes conſurgit, & ſpondet diem
Iterum ante no[illegible]m. Ploret occiduum iubar,
Sperare lumen quiſquis auerſum nequit.

Dolendum non eſſe hominibus vitæ mortalis occaſum, quandoquidem eo ipſo Spes vitæ melioris amplior excitetur.


FOrtè ſub occiduas æſtiui temporis horas,
Sol quibus obliquum pronior vrget iter,
Propter aquæ liquidum diffuſæ pleniùs amnem
E viridi circùm littore proſpiciens,
Spectabam tremulis Phœbeum lumen in vndis
Ludere conſpicuâ ſtagna per ampla face.
Ergo ibit, ſecumque ſuum feret illa decorem
Flamma nimis pronâ præcipitata viâ?
Ibit,& auricomâ vibrantis imagine lucis
Deſtituet cælum, deſtituetque ſolum ?
Parce per ô Superis iucundum lumen, & illos
Queis facis æſtiuos ignibus ire dies;
Perque tuas ſol perq; meas,tua lumina,flammas,
Perque tuos radios qui rapuere meos:
Siſte precor,oculiſq; oculos ne ſubtrahe noſtris;
Siſte, tuaſque ſolo ne precor abde faces.
Hæc ego cum lacrymis : lacrymas dolor ipſe mouebat,
Vrgebat lacrymas ignis & vnda meas.
Quin etiam exudans tenuem natura vaporem,
Viſa fuit fletus velle iuuare meos;
Velle etiam profugum flendo mihi ſiſtere ſolem,
Velle etiam lacrymis collacrymare meis.
Nec fruſtrà ceſſere preces,geminique dolores,
Non fruſtrà fletus miſcuit illa ſuos:
Namque ego reſpiciens(ſic [illegible]è coëgerat ille
Qui ſolet in trepidis luctibus eſſe metus)
Lumina

Lumina vbi aduerſo fixi lacrymantia cælo,
  Inſolitum vidi promicuiſſe iubar.
Paruus in occaſum, ſol maximus ibat ab ortu
  Grandior, hic quamquam plenior alter erat.
Hic erat in medio formoſus inaniter orbe,
  Luminis hic etiam verſicoloris erat;
Arcus erat natus lacrymis plorantis Olympi,
  Arcus ab æthereis nubibus ortus erat.
Arcus hic occidui ſpecies erat altera ſolis;
  Altera, ſole tamen pulchrior illa ſuo.
O ego, dicebam, quid euntem in deuia Solem,
  Conabar lacrymis hic retinere meis?
Quid flentē properare diem flens ipſe querebar,
  Si nouus ille die ſplendor ab occiduo
Exoriturus erat? ſi ſolis amœnior ipſum
  Danda ſub occaſum Spes mihi lucis erat?
Siſtite mortales, inamœnos ſiſtite planctus,
  Quos agit occiduo mors properata die.
Tergite abundantes lacrymas, detergite fletus
  Quos vocat in luctus vltima vita ſuos.
Voluatur properè cælum, & cadat occiduus ſol,
  Vita ſepulchrales proruat in tenebras:
Amplior aduerſo mihi Spes conſurgit ab ortu,
  Quàm cadat auerſâ lux peritura face.
Sæpè dies prono moriare nouiſſima ſole,
  Dum noua præcipiti Spes oriare die.

Teneamus

Teneamus Spei nostræ confessionem indeclinabilem. ad Hebr. 10.

EMBLEMA IX.



— Sepulta iuuat, stabilisque videri
Cùm fuerit non visa, potest. ——

Cùm Spes iacet sepulta, tum iuuat magis,
Stabilemque reddit: certa quòd constet, suo
Habet à sepulchro: nullus est tandem locus
Vbi Spes moretur potiùs, vbi pondus suum
Meliùs reponat. ——

Securum

Securum non antè fore mortalem, quàm Spem, suæ peregrinationis sociam, secum intulerit in sepulchrum.

EDita conspicuâ donec iacet anchora prorâ,
Incertas agitant ventus & vnda rates.
Anchora dè prorâ iacitur? stant æquore puppes,
Aequore tranquillæ stantque manentq; rates.
Scilicet illa leues agit inter inutilis auras;
Sed malè vicinos effugiens oculos.
Tota sepulta mari tutò iacet; inque sepulchro
Abdita fatorum iura quieta tenet.
Non facit ad requiem Spes quæ mortalibus hærens
Associat placidum segnis inersque latus:
Spes stabilem facit illa, iacet quæ clausa sepulchro,
Quæ iacet immani tota sepulta vado.
Spes tumulata iuuat, meliorque superstite velo
Ambiguas animi non sinit esse rates.
Ille dolor matri, fratrique gemellus iniquo,
Posterior partu, conditione prior,
Cuius ab antiquâ descendit origine Numen
Mortales cupiens inter habere locum;
Quàm Spes ille graues viuus tulit! heu quibus olim
Iactatus vitæ fluctibus ille fuit!
Vix conceptus erat, cùm bella domestica sensit;
Hostis erat frater, victima mater erat.
Pænè simul nati, pariter creuere gemelli:
Pronior in casus creuit vterque suos.

Per-

Perfidus hic, fratrique pio crudelis, & amens;
Mitior, & fratri blandior ille suo,
Spes tamen ambiguas semper tulit. Exsul iniquo
Ille caput socero subdidit; ille tori
Permutata sui connubia, crimina nati,
Interitum castæ coniugis, opprobrium
Virginis & natæ, raptæ vi, cæde receptæ
Et coniuratas in sua vota manus;
Fataque Iosephi, quem sic dilexerat vnum,
Ficta quidem, tamen (heu!) credita fata sui;
Exsiliumque, famemque, & cetera, quæ grauis ætas
Iussit in emeritos exsuperare dies:
Debuit hæc sperare senex: Spem ferre prementem
Scilicet ante suam debuit ille necem.
Ast vbi fata tulere, pedes collegit, & inter
Agmina natorum iam meliora pater
Iam melior, iam tranquillâ Spe plenus obiuit,
Et tumulo comitem Spem tulit inde suo.
Viuite, dicebat, mea pignora, viuite nati,
Quà licet hoc læti viuite in exsilio:
Viuite, ego hîc morior. Sed in hoc mihi iuncta sepulchro
Spes exspectatæ firma salutis erit.
Spes erit: exspectare iuuat solatia, tantis
Quæ desideriis orbis vterque petit.
Spes erit: exspectabo Tuum DEVS! hic suus illi
Tot bona speranti condidit ora sopor:
Spemque interceptam, permansuramque sepulchro
Pectoris, exhaustis condidit in latebris.

Spes

Spes viuo fuit; at melior fuit illa ſepulto.
  Iam quod amet, quod non perdet, adeptus habet.
Iam Natum videt atque Deum. Quò tendimus ergo?
  Quo miſeri Spes intendimus exiguas?
Vſque adeóne mori miſerum eſt? piget ordine lento
  Vltima fatorum iura viceſque ſequi.
Spe ſociâ iuuat ire, meoque inferre ſepulchro,
  Quam nimis inſtabilem vita ſuperſtes habet.
Nam quid ego hîc ſemper dubius moror? ô Deus! ô Tu
  Quiſquis habes vitæ credita fila meæ,
Eripe me rebus mortalibus. Horreat ille
  Spe quicumque poteſt non comitante mori.

Felix,

Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à Spe suâ. Eccli. 14.

EMBLEMA X.



—— *Spes sæpè timorem*
Plus nimiò quæsita parit. ——

—— Spes & metus,
Gemellus vno natus ex vtero puer,

Simul

Simul educantur; mentis illa filia est,
Hic corporis propago. Sinceram cupis
Spem possidere? corpus obscurum excute;
Mens casta purum spectet, & speret diem.

Quamdiu noster animus angustijs opaci corporis latet inclusus, sperare aliquid sine timore non potest: tolerandum hoc esse modò; futurum porrò, vt mortale corpus exuti Spes ipsi nostras coràm securique teneamus.

O Quid erit, mea Spes, imis te ferre medullis,
Sollicitis clausam te retinere fibris?
O quid erit? serus dolor? an sincera voluptas?
Pax animi? an trepidi causa timoris erit?
Credideram certè (sed Spes me vana fefellit)
Credideram summas te fore delicias,
Delicias olim te complectentibus æquas,
Delicias oculis, delicias animis:
Iam video quid eris præsens, vicina timere
Quæ facis, & pauidos cogis adesse metus.
Nox erat; ipse procul cælo, procul ignibus vllis
Solus in immani nocte relictus eram:
Et fateor timuisse aliquid. Sperauimus inde:
Spes fuit in tenebris flamma reperta meis.
Vt micuit, nox atra suas secum abstulit vmbras;
Vt micuit, primos abstulit illa metus.
Quid vetet amplexu, mea lux, te cingere nostro?
Quid rapuisse oculo te propiore vetet?

Nil


Nil vetat. Irruimus : quis non putet inde beatum
Me fore, sollicitis Spe procul atque metu?
Me miserum ! quantos animo vicina timores
Spes dedit ! ô quantos intulit illa metus !
Nox fuerat depulsa, iterùm nox pulsa rediuit;
Nocte minor primâ, sed metuenda magis.
Parua sub accessum, progressu creuit in amplam;
Quin etiam vultus induit illa meos?
Nox habet illa meos, sed habet nimis horrida, vultus;
Aduersasque meis nox habet illa manus.
Hócne erat, ô mea Spes, ego te quod habere volebam ?
Hoccíne quo per te quo recrearer erat?
At fuerat certè melius mansisse sub illis
Nox quibus horrentem condiderat tenebris,
Quàm talem sperare diem, blandeque minantes
Heu nimis ante oculos detinuisse faces.
Spes recreat vicina; sed vmbra propinqua minatur,
Non frustrà vmbra meos ponè secuta pedes.
Hanc videoq;,vidensq; etiam mea gaudia perdo,
Quæ parit admotâ Spes animosa face.
Hanc videoque,vidensq; etiam mea funera luctu
Obruor, aspectu territus ipse meo.
Cur tamen has tantùm metuo pueriliter vmbras?
Cur fit ab his animo Spes odiosa meo?
Proiicit illa,sed has post tergora proiicit vmbras,
Meque meos post me cogit habere metus.
Suscitat illa,sed hos à fronte resuscitat ignes,
Meque meas præ me cogit habere faces.

Deni-

Denique vt hanc videam quæ me premit vmbra, measque
Inuaditque manus, insequiturque pedes;
Cur feriat magis illa, magis cur vulneret vmbra,
Quàm recreet medicâ flamma propinqua face?
Terreat vmbra; suo Spes consolabitur igne:
Alternas habeant Spesque metusque vices.
Dissuescat sperare aliquid, quicumque timere
Nil volet: ambiguos Spes facit vna metus.
Spes facit; at corpus tamen huc conspirat opacum.
Hoc careas, omni Spes caritura metu est.

Spes Iustorum immortalitate plena est.
Sapient. 3.

EMBLEMA XI.



— *In immensos Spes vltima desinit orbes.*

Quo Spes ab alto trahitur & fundo magis
Venit à remoto, vertici hoc plures tuo
Disponit orbes; vertici hoc plures tuo
Parat coronas. Si quis hinc surgat labor,
Labor ille te delectet: æternis tuum
Spes in coronis æqua suscipiet caput;
Quotque annulos, tot ipsa mox annos dabit
Aeternitatis. ———

Non

Non debere nos pigere Spei nostræ quòd adeò sit remota: quò enim longiùs abierit, hoc plures, cùm adducta fuerit, coronas immortalitatis in orbem nobis positas exhibebit.

SAepè gemens dolui, quòd Spes tam segnis in altos
Iussa foret semper longiùs ire polos;
Quòd prius immensos vrgendo euoluere funes,
Quòd priùs æternam deproperare fidem,
Staret in æthereo quàm fixa tenaciter orbe,
Quàm faceret stabilem vasta per alta ratem.
O quoties, patrio dum Spes constaret Olympo,
Nox impensa mihi tota diesque fuit!
O quoties sol obscuræ per frigora noctis
Occiduus fessum vidit, & exoriens!
O quoties, iterùm reducis per amœna diei,
Exoriens fessum vidit & occiduus,
Immensæque euoluentem retinacula chordæ,
Pænè suam nimiã Spe superante fidem!
Dicebam, ô quantùm mea Spes extenderis! ô quàm
Sepositos auidè tendis ad vsque lares!
Meque iubes sperare meo procul orbe remota
Gaudia, inaccessis gaudia mersa plagis!
Si tamen his constare licet, superasse laborem
Non piget: à pretio fit leuis ille suo.
Non piget euoluisse Spei retinacula nostræ,
Non piget hîc omnem deproperasse Fidem.


Fallor, an æthereo venit aura secundior orbe,
Et vocat in portum vela soluta suum?
Aura venit, vocat aura; citæ properate carinæ,
Currite veliuolæ summa per alta rates.
Currite: statis adhuc? numquid quia pendula necdum
Anchora subducta est quæ modò iacta fuit?
Sursum age nunc mea Spes. Iuuat ire, Notísque secundis
Quò desiderij me vehit aura, rapi.
Prô Superi! quàm tardo iterùm molimine sursum
Tollitur ex imis anchora mersa vadis!
Voluimus immensæ spatiosa volumina chordæ,
Voluimus æternam mille per acta fidem:
Voluimus innumeros & circumuoluimus orbes:
Vixque tamen post hæc omnia, conspicitur
Anchora fluctiuagæ Spes vnica & vltima mentis;
Anchora, Spes vitæ summa salúsque meæ.
Sed benè quòd Spes lenta venit: non lenta veniret,
Iussa foret longâ ni procul ire viâ.
Iussa fuit procul ire, suoque, immane per altum,
Iussa fuit stabilem se sociare Deo.
Iussa Deo sociare; in quo constanter amicis
Spes desideriis fixa manere potest.
Ergo redis Spes lenta? Scio, nisi lenta redires,
Non faceres capiti tot redimicla meo.
Non tot inoffenso religares fune coronas,
Promissis melior, Spes mihi facta tuis.

Cùm

Cùm volet aura, Notis agitabilis aura secundis,
Aura meas iterùm cùm volet ire rates;
Tunc ego te repetam, repetensque alterna vicissim
Adiiciam plenis carmina cum numeris.
Cur mea Spes, mea res, mea vita & cura, coronas
Cur mihi tot nectis? Cur? quia tam procul is.

Gloriamur in Spe gloriæ filiorum Dei.
ad Rom. 5.

EMBLEMA XII.



——— *Spes insperata pusillos*
Excitat, & medio facit exsultare sereno.

——— Euge, torporem excute,
Spatiare cælo, quoque Spes alacrem vocat
Pusilla

Pusilla mens assurge. non patitur suos
Animosa Spes dolere. sit paruum licet
Cor, gaudio par esse non humili potest,
Vbi nocte Spes affulsit,& fecit diem
Etiam in tenebris. ———


Quibus Spes vitæ melioris affulserit, posse eos etiam in tenebris & mortis vmbrâ sedentes, festiuè exsultare.

INtus in obscuræ tenebrosa cubilia noctis
Per tenues rimâ dissimulante fores,
Si qua superueniet quæ non sperabitur aura,
Aura suæ lucis prædita deliciis,
Et vacuum pulchro distinguet inane sereno,
Auricomâ pingens atria cæca face;
Ecce aderunt,hilaresque choros lætantia ducent
Certatim iunctis agmina pulueribus,
Gaudiaq; ad numeros veluti concordia nectent,
Gaudia festiuas ducta per illecebras.
Vsq; adeò noua lux animis gaudentibus apta est:
Lux adeò festæ præuia lætitiæ est.
Credo equidẽ,ex atomis si concursantibus ingens
Naturæ tandem machina prodierit,
Cælorumque orbes, tellurisque ardua moles
Constiterit paruis edita corporibus,
Credo quòd affusæ fuerint tunc omnia luci
Peruia; luxque suo quòd simul officio
Functa sit, & leuibus faciens commercia punctis
Iusserit hos pulchro denique stare modo.
Quid tamen hæc Epicureo procusa cerebro,
Quid facit ad mores fabula Socraticos?

Discite mortales, magni quibus æmulus orbis
Spiritus angusto clauditur orbiculo,
Atque atomi punctíve locum quærentis ad instar
Naturæ magno voluitur in vacuo;
Voluitur immani caligine, voluitur vmbris,
Immensis rerum voluitur in tenebris;
Discite, festiuæ quæ causa sit optima vitæ,
Vnde agitet lætos vita renata dies.
Spes, velut in tenebris lux insperata profundis,
Cum radiis puri luminis exoriens,
Delicias animo tantas parit. Ite timores
Mentis, inoffensi pectoris ite metus;
Ite, graues procul ite mei mea cura dolores:
Spes iubet, illapsu Spes animosa suo.
Illius ad placidum, rerum per inania, lumen,
Illius infusos leniter ad radios,
Illius ad flammas, ignesque dolentibus aptos
Emicat horroris nescia vita sui.
Et sit adhuc cui nox animi sit acerba? suoque
Qui grauis ipse sibi viuat in exsilio,
Quando per obscuram Spes internuntia noctem,
Lætitiæ expertem non sinit esse suæ?

Spes quæ videtur, non est Spes.
ad Rom. 8.

EMBLEMA XIII.



Visa grauat, non visa leuat. ———

Spem curioso quisquis obtutu capit,
Spe, sed molestâ capitur. hac oculos precor

Natura ne defige. Sit clausum licet,
Sit in recessu conditum & Cæli & Dei,
Tutum esse Spe seruante depositum potest
Vtriusque vitæ. Dexteram huc cæcam exere.
Patiens haberi sæpè, Spes numquam fuit
Patiens videri. ———

Non expedire sperantibus habere in oculis id quod sperant; securius esse, conditum illud fideli animo retinere.

DOnec sepositis latet abdita præda sub vmbris,
Hanc licet arguto sentiat ore canis,
Accubat ille tamen, viridesque expansus in herbas
Inter vtrosque caput detinet ille pedes.
Accubat, & certâ Spe plenus in otia tendit,
Otia venturis præuia deliciis.
Exsiliat si præda, canis quoque surgit; & ecce
Ipse moræ impatiens, impatiensque sui
Insequitur, trepidasque mouens latratibus auras,
Se desiderij torquet amore sui.
Præcipuè si fors agili præda ardua saltu
Aut volucri alarum concita remigio,
Arboris in patulas secura euaserit vmbras,
Vnde fatigatas rideat illa minas.
Tormentum! crepat insanis latratibus, & iam
Præ desiderio rumpitur ille suo.
Quin etiam nisi ab hac illum Spe cogat abire
Venantis domini cauta subinde manus,

Spem

Spem patulis conceptam oculis non antè relinquet,
Quàm Spes ante ſuas mortuus ipſe cadat.
Vſque adeò Spes viſa grauat, non viſa quietum
Spes leuat, & blandis detinet illecebris
Securumque, ſuique capacem, animique potentem
Semper inoffensâ pace bonoque frui.
Anchora ſi qua rati ſuper-incubat, vrget in vndas;
Si qua repoſta vado conditur, illa leuat.
Viſa grauat, non viſa leuat: Spes, ſi qua videtur,
Spes oculis; animis ſed dolor eſſe ſolet.
Si cupias, omnis via longa ſit: inſpice portum;
Eminus abſentes proſpice delicias,
Spesque oculis metire tuas, metire dolores,
Paruula ſperanti quos dabit hora tibi.
At breuis vt via, parua fluat properantibus hora,
Vt patrias ſubitò ſtet ratis ante fores;
Spes oculis auerte tuis, tutisque ſub vmbris
Otia ſperantum certa quietus age.
Si qua videtur enim, non Spes, ſed pœna videnti eſt;
Tormentum eſt auidis credita Spes oculis,
Tormentum crudele. ô Cælum! ô ſidera! Tuque
O Deus! ô quidquid Spes mihi certa paras!
Non ego vos oculis captare ſequacibus opto:
Plus ſatis eſt animo vos tenuiſſe meo.
Non cupio quod amo, quod ſpero videre recuſo.
Speratæ cruciant quando videntur opes.
Mentibus æthereis pateant cæleſtia, pleno
Se quoque ſpectandum præbeat ore Deus.


I 5 Quòd

Quod teneas spectare iuuat; spectare quod optes,
Quod cupido necdum detur habere, nocet.
Desinite ô mea vita, meæ Spes vnica vitæ,
Desinite ô cæli sidera, desinite
His oculis lucere: iuuat sperare: videre
Non iuuat has mundi nobilioris opes.
Tempus erit, fuerit si quod post tempora tempus,
Sin' omni maius tempore tempus erit
Aeternum, immortale, animo sperata videre
Quo iuuet atque oculo vota tenente sequi.
Nunc, quia Spes animo conceditur vnica nostro,
Non datur hæc oculis conspicienda meis.

Terra

Terra superuacua Spes illius, & luto vilior vita eius. Sap. 15.

EMBLEMA XIV.



—In terram Spes inclinata recumbit,
Si qua polum putat esse leuem. ——

Spes æqua non est illa quæ terram potest
Præferre cælo. Terra generosum quidem
Solidumque pondus mole mentitur suâ;
Sed inanis est: infernus hac ignis latet,

Leuitate notus ignis. Instabili licet
Voluatur orbe, stat tamen cælum graui
Velut ære fusum, pondus immensæ ferens
Aeternitatis. ———

Iniquam esse Spem illam; quæ cùm cæli terræque momenta libranda & examinanda susceperit, cæli omne pondus eleuat; in terram verò vt potiorem inclinatur.

SPe licet exiguâ geminus suspenditur orbis;
Vnica Spes cælum librat, & vna solum.
O bona! si certo momenta examine pensans
Iustitiam cælo teste tenere velit.
Sæpè sed ambiguo nutans temeraria motu,
Nec satis in cælum pendula spectat humum.
Præstat humo tamē illa domus radiantis Olympi,
Spes licet in vacuam prona recumbat humum,
Quodque animis manibusque sequar promittat habendum,
Temporis instabili conditione solum.
Non frustrà tribus à digitis suspenditur orbis;
Orbem teste Deo sic patet esse leuem.
Aere velut fusum stabili manet ordine cælum;
Cælum teste Deo sic patet esse graue.
Spes tamen ex oculis etiam subducere cælum,
Inque manus vacuam tradere gaudet humum.
Hac fruor, huius ego frustrà delector inani
Pondere: momentū est quod dare terra potest.
Immensum mihi pondus amant submittere cæli:
Aeternum cæli gloria pondus habet.

O vtinam!

O vtinam! (liceat, pueris quod fabula nobis
Tradidit, hîc magno fortiùs ore loqui.)
O vtinam pronum telluris inutilis orbem
Hercule ſuppoſito fulciat alter Atlas;
Et faciat vice mutatâ deſcendere cælum,
Inque vicem cæli, ſcandere cogat humum!
In cælos mea Spes tunc inclinata iaceret,
Tunc poſſent cæli pondus habere ſuum.
Tunc ego cum ſtabili gauderem ludere cælo,
Tunc procul à manibus ludicra terra foret.
Tum Deus in vacuo, terrarum luderet orbe:
Lude meo, mihi tunc diceret ille, polo.
Hei mihi (cogor enim, quamquam pudet, illa fateri)
Hei quoties animo vota fuere meo!
Impia vota: Deus vacuo dominetur Olympo,
Seruiat ad nutus terra ſed vna meos.
Vota, precor Superi, meliora reducite vota,
Ne mea Spes ſolam prona ſequatur humum.
Tuque adeò Deus, immiſſo vel fulmine, coge
Iuſtitiæ memorem Spem precor eſſe tuæ.
Incute vim cælo. Spes inclinabitur illi:
Læſa tuum vel ſic diſcet amare polum.

Singulariter in Spe constituisti me.
Psalm. 4.

EMBLEMA XV.



—*Constantem Spes summa coronat.*

Spes summa, Spes suprema promittit quidem,
Sed habere certam non potest animus nisi
Constans coronam. Vertici quisquis tuo

Dotale

Dotale munus pignus immensæ petis
Aeternitatis, stare ne pigeat, suas
Vbi Spes Olympo prona defixit manus.

Frustrà aliò atque aliò rapi homines impellente naturâ: in Spe standum esse defessis, ut æterna per illam præmia consequantur.

STa quicumque viam festinus in otia carpis,
Quæque feras tecum pauca Viator habe.
Nos quoque, quos iam stare vides, quos denique summa
Constantes lateri Spes iubet esse suo;
Nos quoque, sed frustrà, iuuenilibus iuimus annis,
Iuimus incertis quà tulit aura Notis;
Iuimus errantes, similesque furentibus Euris,
Quos agit in gyros æstus & vnda suos:
Iam stantes sumus & stabiles: adstare Viator
Si lubeat, solido te quoque fige loco.
Spes bona det vires: vires dedit vnica nobis;
Plusque ipsis aliquid viribus vna dedit.
O quoties! cùm deceptæ bona prodita vitæ
Ferret in ignotas ventus & aura plagas;
Cùm benè vix natas, nec adhuc satis ordine notas
Delicias animi perderet vna dies;
Cùm natura meos sine vindice proderet annos,
Temporaque in certam cogeret ire necem;
O quo-


O quoties ego tunc, nisi me manus illa teneret,
Quæ terram stabili detinet vsque loco;
Quæ cælos mouet,& superas mouet ordine flammas;
O quoties cæcas pronior in tenebras,
Pronior in saltus, in opacas pronior vmbras,
Præcipiti potui fata subire pede!
Sæpiùs excelsi super ardua stans iuga montis,
Atque immane altum pendulus aspiciens,
Iam potui voluique vno temerarius ausu
Vltima consiliis iungere fata meis.
Sæpè procellosas dolor impulit ire per vndas,
Sæpè per accensas impulit ire faces.
Sæpius audentem telluris in ima, coëgit
Quærere consiliis apta sepulchra meis.
Sed similem tamen attonito, subsistere semper,
Vis me, nescio quæ, vis tamen vna dedit.
Hæc eadem, variæ me post discrimina vitæ,
Iussit in hoc tandem figere membra loco.
Fiximus: amplexu Spes me suscepit amico,
Maioremque meis me dedit esse malis.
Quin etiam,à Superis Spem conciliantibus ipsam,
Imposita est capiti summa corona meo.
Scilicet illud erat, quod me manus illa vocabat,
Illa meos toties prona mouere pedes.
Dum Spes vna meis requies foret vltima rebus,
O bona Spes! vitæ summa corona meæ!
Aspicis hæc? nec amare potes bona tanta Viator?
Hæc capis, atque aliò degener ire potes?
Iunge manus, age iunge pedes. constabimus ambo:
Spes puto sufficiens vna duobus erit.

Frontibus

Frontibus illa ſacram deponet vtriſque coronam,
Quamque dabit, nobis non aliunde dabit.
Spes habet ipſa ſuam quam donet vtrique coronam,
Annulus illa mei fidus amoris erit.
Annulus articulum non vt circumliget vnum,
Orbe ſed vt capiat tempus vtrumque ſuo.
Siſte Viator: itum ſatis eſt: hanc ſume coronam;
Si ſperare potes, Rex meus eſſe potes.

Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Thren. 3.

EMBLEMA XVI.



——— *Spes dilatat.* ———

——— Quas conclusit auersus dies,
Repetita lux dilatat, & plenas sui
Facit esse cæli. Contrahat mentem dolor

Cui

Cui lapſa retrò fluxit auerſo Deo
Spes ſumma vitæ. Neſcit anguſtus mori,
Spe quiſquis amplâ vixit, & vixit benè.

Animum hominis præſentium dolore contractum, explicare debere ſemet Spe ſerenitatis proximæ recreatum; quandoquidem id ipſum à naturâ paßim omni fieri videamus.

FOrtè ſub occidui iucunda crepuſcula ſolis
  Mens fuerat profugi littus adire maris.
Littus arenoſæ complerant vndique conchæ;
  Conchæ ſquallentis parua domus animæ,
Viuentes conchæ, conchæ oceanitides, alto
  Quas leuis vnda procul traxerat è pelago
In terram; vnde iterùm fugitiua coëgerat illa
  Semianimes vacuo fortè iacere ſolo.
Languida nox aderat, neque lux ſuper vlla tenebat;
  Concha ſuperuacuas clauſerat ergo fores.
Non procul hortus erat; noctem quoque ſenſerat hortus;
  Quælibet ergo ſuas clauſerat herba fores.
Quilibet, occiduis ceu non benè fideret vmbris,
  Adductas ſenſim floſculus auriculas
Fragrantiſque focum calicis, paruoſque penates
  Arctè collectis abdiderat foliis.
Hîc ego cum gemitu, gemitum res viſa mouebat,
  Hîc ego: Nempe nihil quo recreentur habent;
Nempe

Nempe nihil ſperant. Et quid ni claudimus, inquam,
Nos quoque depoſitæ limen vtrumq; domus?
Limen vtrumque animæ: flores lux ſumma reliquit,
Vltima iam pridem Spes mihi procubuit,
Et pauidam nocti mentem dedit: Hîc ego tandem
Victa dolore meo, vincta ſopore ſuo
Pelliceis tunicis oculorum lumina texi;
Lapſa ſubinde ſinu membra recepit humus.
Nox ierat: iamque ecce diem ſolemque reducens
Nuntius auroræ lucifer ortus erat:
Hunc ego ſuſpiciens, Salue ô pulcherrime, dixi,
Salue, ô pænè tuo pulchrior ipſe die.
Finieràm, pleno cùm formoſiſſimus orbe
Sol velut aurato progreditur thalamo
Aureus ipſe, nouoque micans radioſior auro,
Flamma quod igne ſuo viuida diſſoluit.
Ecce ſub aſcenſum generoſæ lucis apertus
Floſculus admiſſum ſentit amatque diem;
Ecce ſalutantes ad Eoum porrigit alas,
Et patulis ridet blandior è foliis.
Erigit ecce ſinus; foribuſque negotia plenis,
Spemque ſimul certi concipit inde boni.
Sic vbi manè nouum noua lumina reddidit orbi,
Mercator pandas ſedulus ante fores
Nomine quaſque ſuo diſponit & ordine merces:
Spes iubet hoc ſoliti nempe futura lucri.
Nec minùs æquoreæ, genus inſatiabile, conchæ,
Conchæ ſolares ocyùs ad radios
Diducunt

Diducunt geminas, lapidosa cubilia, testas,
Speque nouâ noctis damna priora leuant:
Spes alit omnia; dilatat Spes omnia, soluit
Omnia, & explicitos cogit habere sinus.
Vnus ego exili serpens rugosior ore,
Fataque sub clauso plurima corde premens,
Arctus & anxius, angustus, contractus & exspes
Exsilij cogar pondera ferre mei?
Quippe iubet Spes lapsa retrò. Sol ergo redire
Semper ab occiduo redditus orbe potest?
Sol contracta priùs per opacæ tempora noctis
Vincula naturæ dissoluisse potest?
Obscuras animo cùm nox semel induit vmbras,
Spesque sub infernas corruit ima plagas,
Nox erit vnica, perpetuo nox debita somno,
Nox grauis æterno semper agenda die?
Exorere, exorere meis quæ debita fatis,
Exorere ô votis Spes reuocata meis!
Exorere, angustosque animos augusta reclude;
Exorere, & facili vincula solue face.
Hactenus adducti, quia nox fuit, ocyùs ampli
Pectoris expansos induet aura sinus.
Aura diu sperata, & adhuc sperabilis aura,
Aura animi vigor, & spiritus aura mei.
Viuite contracti quos Spes fugit: vna capacem
Spes facit: vna Deo Spes iubet esse patem.


Deus

Mens ruptâ viduata Fide, ventoſque procellaſq;
Euocat, in miſeram deperitura ratem.
O mea Spes, mea cura Fidem ne deſere. Non ſit
Vlla tibi, aut vlli tam furioſa manus,
Quæ lateri ſecura tuo retinacula frangat,
Quæ ſecet adſtrictam fortior enſe Fidem.
Aeſtuet vnda, Fidem mea Spes retinere memento
Complicitam in gyros, explicitámve Fidem.
Incubet aura, Fidem mea Spes ſeruare memento,
Fræna Euri, Boreæ fræna, Notique fidem.
Verberet vnda latus, latus aura flagellet apertum,
Nulla tuam rapiant vnda vel aura Fidem.
Sic ego te ſic alta etiam per inhoſpita ducam;
Sic fies animo ſarcina grata meo.
Sic ego te, validus ſi ventus & vnda minentur,
Proiiciam: & ventis fortior indomitis,
Fortior vndoſis inſultibus, vnus vtriſque
Fortior, hîc potero ſtare, vbi lapſa cades.
Scilicet vna Fides tibi me coniunget, & in te
Conſtantem poſito reddet amica metu.
Fortunata Fides, quæ Spem tenet vltima fixám;
Fortunata ſuam ſi tenet illa Fidem.

In

In me omnis Spes vitæ. Eccli. 24.

EMBLEMA XVIII.



—— *Spes clauſo tuta ſepulchro eſt.*

Spem quiſquis ore prodit, & claudi inſolens
Externa tantùm ſpectat, æternam cupit
Spem perdidiſſe: clauſa Spes tuto latet
Etiam in ſepulchro. Fiditur clauſo benè:

Singulariter in Spe constituisti me.
Psalm. 4.

EMBLEMA XV.



— Constantem Spes summa coronat.

Spes summa, Spes suprema promittit quidem,
Sed habere certam non potest animus nisi
Constans coronam. Vertici quisquis tuo

Dotale

Dotale munus pignus immensæ petis
Aeternitatis, stare ne pigeat, suas
Vbi Spes Olympo prona defixit manus.

Frustrà aliò atque aliò rapi homines impellente naturâ: in Spe standum esse defessis, vt æterna per illam præmia consequantur.

STa quicumque viam festinus in otia carpis,
Quæque feras tecum pauca Viator habe.
Nos quoque, quos iam stare vides, quos denique summa
Constantes lateri Spes iubet esse suo;
Nos quoque, sed frustrà, iuuenilibus iuimus annis,
Iuimus incertis quà tulit aura Noti;
Iuimus errantes, similesque furentibus Euris,
Quos agit in gyros æstus & vnda suos:
Iam stantes sumus & stabiles: adstare Viator
Si lubeat, solido te quoque fige loco.
Spes bona det vires: vires dedit vnica nobis;
Plusque ipsis aliquid viribus vna dedit.
O quoties! cùm deceptæ bona prodita vitæ
Ferret in ignotas ventus & aura plagas;
Cùm benè vix natas, nec adhuc satis ordine notas
Delicias animi perderet vnà dies;
Cùm natura meos sine vindice proderet annos,
Temporaque in certam cogeret ire necem;
O quo-


O quoties ego tunc, nisi me manus illa teneret,
Quæ terram stabili detinet vsque loco;
Quæ cælos mouet,& superas mouet ordine flammas;
O quoties cæcas pronior in tenebras,
Pronior in saltus, in opacas pronior vmbras,
Præcipiti potui fata subire pede!
Sæpiùs excelsi super ardua stans iuga montis,
Atque immane altum pendulus aspiciens,
Iam potui voluique vno temerarius ausu
Vltima consiliis iungere fata meis.
Sæpè procellosas dolor impulit ire per vndas,
Sæpè per accensas impulit ire faces.
Sæpius audentem telluris in ima, coëgit
Quærere consiliis apta sepulchra meis.
Sed similem tamen attonito, subsistere semper,
Vis me, nescio quæ, vis tamen vna dedit.
Hæc eadem, variæ me post discrimina vitæ,
Iussit in hoc tandem figere membra loco.
Fiximus: amplexu Spes me suscepit amico,
Maioremque meis me dedit esse malis.
Quin etiam, à Superis Spem conciliantibus ipsam,
Imposita est capiti summa corona meo.
Scilicet illud erat, quod me manus illa vocabat,
Illa meos toties prona mouere pedes.
Dum Spes vna meis requies foret vltima rebus,
O bona Spes! vitæ summa corona meæ!
Aspicis hæc? nec amare potes bona tanta Viator?
Hæc capis, atque aliò degener ire potes?
Iunge manus, age iunge pedes. constabimus ambo:
Spes puto sufficiens vna duobus erit.

Frontibus

Frontibus illa sacram deponet vtrisque coronam,
Quamque dabit, nobis non aliunde dabit.
Spes habet ipsa suam quam donet vtrique coronam,
Annulus illa mei fidus amoris erit.
Annulus articulum non vt circumliget vnum,
Orbe sed vt capiat tempus vtrumque suo.
Siste Viator: itum satis est: hanc sume coronam:
Si sperare potes, Rex meus esse potes.

Bonus est Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Thren. 3.

EMBLEMA XVI.



——— *Spes dilatat.* ———

——— Quas concluſit auerſus dies,
Repetita lux dilatat, & plenas ſui
Facit eſſe cæli. Contrahat mentem dolor

Cui

Cui lapſa retrò fluxit auerſo Deo
Spes ſumma vitæ. Neſcit anguſtus mori,
Spe quiſquis amplâ vixit, & vixit benè.

Animum hominis præſentium dolore contractum, explicare debere ſemet Spe ſerenitatis proximæ recreatum; quandoquidem id ipſum à naturâ paßim omni fieri videamus.

FOrtè ſub occidui iucunda crepuſcula ſolis
Mens fuerat profugi littus adire maris.
Littus arenoſæ complerant vndique conchæ;
Conchæ ſquallentis parua domus animæ,
Viuentes conchæ, conchæ oceanitides, alto
Quas leuis vnda procul traxerat è pelago
In terram; vnde iterùm fugitiua coëgerat illa
Semianimes vacuo fortè iacere ſolo.
Languida nox aderat, neque lux ſuper vlla tenebat;
Concha ſuperuacuas clauſerat ergo fores.
Non procul hortus erat; noctem quoque ſenſerat hortus;
Quælibet ergo ſuas clauſerat herba fores.
Quilibet, occiduis ceu non benè fideret vmbris,
Adductas ſenſim floſculus auriculas
Fragrantiſque focum calicis, paruoſque penates
Arctè collectis abdiderat foliis.
Hîc ego cum gemitu, gemitum res viſa mouebat,
Hîc ego: Nempe nihil quo recreentur habent;
Nempe

Nempe nihil ſperant. Et quid ni claudimus, inquam,
Nos quoque depoſitæ limen vtrumq; domus?
Limen vtrumque animæ: flores lux ſumma reliquit,
Vltima iam pridem Spes mihi procubuit,
Et pauidam nocti mentem dedit: Hîc ego tandem
Victa dolore meo, vincta ſopore ſuo
Pelliceis tunicis oculorum lumina texi;
Lapſa ſubinde ſinu membra recepit humus.
Nox ierat: iamque ecce diem ſolemque reducens
Nuntius auroræ lucifer ortus erat:
Hunc ego ſuſpiciens, Salue ô pulcherrime, dixi,
Salue, ô pænè tuo pulchrior ipſe die.
Finieram, pleno cùm formoſiſſimus orbe
Sol velut aurato progreditur thalamo
Aureus ipſe, nouoque micans radioſior auro,
Flamma quod igne ſuo viuida diſſoluit.
Ecce ſub aſcenſum generoſæ lucis apertus
Floſculus admiſſum ſentit amatque diem;
Ecce ſalutantes ad Eoum porrigit alas,
Et patulis ridet blandior è foliis.
Erigit ecce ſinus; foribuſque negotia plenis,
Spemque ſimul certi concipit inde boni.
Sic vbi manè nouum noua lumina reddidit orbi,
Mercator pandas ſedulus ante fores
Nomine quaſque ſuo diſponit & ordine merces:
Spes iubet hoc ſoliti nempe futura lucri.
Nec minùs æquoreæ, genus inſatiabile, conchæ,
Conchæ ſolares ocyùs ad radios


Diducunt

Diducunt geminas, lapidosa cubilia, testas,
  Speque nouâ noctis damna priora leuant:
Spes alit omnia; dilatat Spes omnia, soluit
  Omnia, & explicitos cogit habere sinus.
Vnus ego exili serpens rugosior ore,
  Fataque sub clauso plurima corde premens,
Arctus & anxius, angustus, contractus & exspes
  Exsilij cogar pondera ferre mei?
Quippe iubet Spes lapsa retrò. Sol ergo redire
  Semper ab occiduo redditus orbe potest?
Sol contracta priùs per opacæ tempora noctis
  Vincula naturæ dissoluisse potest?
Obscuras animo cùm nox semel induit vmbras,
  Spesque sub infernas corruit ima plagas,
Nox erit vnica, perpetuo nox debita somno,
  Nox grauis æterno semper agenda die?
Exorere, exoricre meis quæ debita fatis,
  Exorere ô votis Spes reuocata meis!
Exorere, angustosque animos augusta reclude;
  Exorere, & facili vincula solue face.
Hactenus adducti, quia nox fuit, ocyùs ampli
  Pectoris expansos induet aura sinus.
Aura diu sperata, & adhuc sperabilis aura,
  Aura animi vigor, & spiritus aura mei.
Viuite contracti quos Spes fugit: vna capacem
  Spes facit: vna Deo Spes iubet esse parem.

Deus

Deus autem Spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo; vt abundetis in Spe, & virtute Spiritus sancti. Rom. 15.

EMBLEMA XVII.



—*Tolle Fidem, Spes nulla futura est.*

——Spem, mortalis, æternam potes
Abiicere, quam soluta destituit Fides.
Fide orba Spes, est vana: sublatâ Fide,
A Spe nihil sperare licet amplâ potes,
Nisi pondus ingens. Anchoram immanes ligent
Fixam rudentes; solida Spem teneat Fides,
Quam nulla vis, non dextera ingenti potens
Orientis hostis ense fatali auferat.

Spem

Spem Fide destitutam, non esse nisi pondus animo inter vitæ discrimina laboranti.


SPes scio venturæ restat super altera vitæ,
Spes subit extremum non moritura diem.
Sed tamen (infidæ fortunam discite mentis)
Sed tamen ablatâ non iuuat vlla fide.
Anchora præfecto nihil est nisi sarcina fune.
Anchora præfecto nulla rudente iuuat.
Tolle Fidem, Spes vlla tibi si nempe futura est;
Spes animi pondus triste gementis erit.
Illa procellosos conantem euadere fluctus,
Altiùs insanis fluctibus inuoluet;
Sudantemque suo sub pondere, & alta timentem
Immenso tandem subruet Oceano.
Spes ô desperata Fidem quæ perdidit! ô quam
Non leuis ablatâ Spes solet esse Fide!
Quàm grauis illa suam mentem premit! Ite, solutā
Quos furor ingenij iusserit ire Fide.
Ite, fatiscentemque ac desuper incumbentem
Pectoris oppresso Spem retinete sinu.
Spes sperare Deum memorem fandi atque nefandi,
Spes super impositum coget habere Deum.
Sic pelago ratis in medio, quam sacra rudente
Anchora perfracto denique destituit,
Suspensi maris imperium, fluctusque tumentes
Desuper Oceano iam propè mersa timet.
Nempe graues animi potuit quę frangere fluctus,
Dum tenuit certam fixa tenaxque Fidem,
Mens

Mens ruptâ viduata Fide, ventoſque procellaſq;
Euocat, in miſeram deperitura ratem.
O mea Spes, mea cura Fidem ne deſere. Non ſit
Vlla tibi, aut vlli tam furioſa manus,
Quæ lateri ſecura tuo retinacula frangat,
Quæ ſecet adſtrictam fortior enſe Fidem.
Aeſtuet vnda, Fidem mea Spes retinere memento
Complicitam in gyros, explicitámve Fidem.
Incubet aura, Fidem mea Spes ſeruare memento,
Fræna Euri, Boreæ fræna, Notique fidem.
Verberet vnda latus, latus aura flagellet apertum,
Nulla tuam rapiant vnda vel aura Fidem.
Sic ego te ſic alta etiam per inhoſpita ducam;
Sic fies animo ſarcina grata meo.
Sic ego te, validus ſi ventus & vnda minentur,
Proiiciam: & ventis fortior indomitis,
Fortior vndoſis inſultibus, vnus vtriſque
Fortior, hìc potero ſtare, vbi lapſa cades.
Scilicet vna Fides tibi me coniunget, & in te
Conſtantem poſito reddet amica metu.
Fortunata Fides, quæ Spem tenet vltima fixam;
Fortunata ſuam ſi tenet illa Fidem.

In

In me omnis Spes vitæ. Eccli. 24.

EMBLEMA XVIII.



—— *Spes clauso tuta sepulchro est.*

Spem quisquis ore prodit, & claudi insolens
Externa tantùm spectat, æternam cupit
Spem perdidisse: clausa Spes tuto latet
Etiam in sepulchro. Fiditur clauso benè:

Quod non datur videre, ſeruatur benè,
Etiam inter vmbras. Totus ignorat mori,
Spem qui ſepulchro poſuit. Vbi nil eſt ſuper,
Spes vna ſupereſt; certa Spes, Spes, quæ ſuo
Etiam à dolore viuere æternùm poteſt.

Spem vitæ melioris clauſo etiam ſepulchro certiſſimè retineri.

CLauſa quòd aſſiduo mens intus aduritur igne,
Nec tamen ardoris ſigna dat vlla ſui;
Quòd neque dat gemitus, neq; dat ſuſpiria cælo;
Sponte quòd effuſas non abit in lacrymas;
Quòd niſi neſcio quid quod non capit auris anhelat,
Et tacitis ſurdè murmurat in latebris:
Quòd lacrymas bibit ipſa ſuas, gemituſque reſorbens
A deſideriis paſcitur ægra ſuis;
Non puto de nihilo eſt: ſatis eſt quòd nouimus, inquit,
Quæ lateat fido Spes mihi clauſa ſinu.
Quæ mihi Spes, qualis mihi ſpiritus æſtuet intus,
Ipſa ſcio; ipſa etiam ſentio, & hoc ſatis eſt.
Spes benè clauſa latet: *Spes clauſo tuta ſepulchro eſt,*
Quod facit hæc animo corporis vmbra meo.
Spes abit in cineres, ſed abit manſura ſub illis:
Spes ſatis hìc, ſemper quo foueatur, habet.
Scilicet horrentem cùm mortis abegerit vmbram,
Et fuerit vigili ſole reducta dies;

Illa

Illa dies magni quam nox præit vltima mundi,
Illa dies Cælo nota Deoque dies;
Tunc mea Spes cineres coluit quæ clausa sepultos,
Luminis afflatum sentiet ætherei;
Sentiet æterni iubar exoptabile solis,
Et facilis vitæ causa recentis erit.
Non nihil in tunicâ,quamquã nihil esse putatur,
Non nihil in tunicâ semen habente latet.
Hac latet innumeræ Spes optatissima messis,
Hæc seriem longæ posteritatis habet.
Si dubitas quia brumali latet obruta glebâ,
Et velut exsangui clausa tenetur humo:
Præstolare noui redeuntia tempora veris,
Et Spem depositi seminis adspicies;
Adspicies vitæ facilem melioris alumnam
Intus in abstruso delituisse loco.
Nempe simul teneram noua vita resurget in herbam,
Viuida mox flores induet herba nouos;
Flos nouus in patrios se vertens deniq; fructus,
Non vacuo dicet Spem latuisse sinu.
Quondam etiam patriâ tellure reconditus ignis,
Ignis adorati Numinis exuuiæ,
Exuuiæ tristes,& Relligionis acerbum
Depositum, excussâ denique rursus humo
Emicuit, clausasque retrò tot euntibus annis
Dicitur in cælos vsque tulisse faces.
Fertur & in cineres auis vnica abire supremos,
Atque iterùm ex illis surgere fertur auis.
Spes abit in cineres,sed abit mansura sub illis:
Post ignes etiam, quo recreetur, habet.

Omnia edax ignis consumit: ab ignibus ipsis,
  Si benè delituit, Spes animosa redit.
Felices vel in igne animæ felicis alumnæ,
  Felices casti relliquiæ cineris!
Relliquiisque tuis etiam felicior vrna
  Vrna sepulchralem iussa tenere locum;
Vrna cui soli Spes dudum credita cessit,
  Non vmquam in vacuos Spes abitura Notos.
Te te ego: te, similémve tui post vltima quæram
  Funera Spem clauso continuisse sinu.
Mecum labentes vt condita duret in annos,
  Atque iterùm lapsis orbibus incipiat
Magna recurrentis primordia sumere vitæ;
  Sumere depositi dulce laboris onus.
Viuere ament alij: dum Spes mihi viua superstit,
  Ipse meo cupiam victus ab igne mori.

Oculi

Oculi impiorum deficient, & effugium peribit ab eis, & Spes illorum abominatio animæ. Iob 11.

EMBLEMA XIX.



——— *Spes nimis alta nocet.*

Magis alta, quàm natura quàm virtus capit,
Sperare nocuit. Sæpè Spes mortem intulit
Elata, quæ submissa tranquillam potest
Vitam dedisse. Fronte Spem frustrà exhibet,
Qui mente dirum vulnus auersâ gerit.

Plerosque abuti Spe suâ ad prosequendum ea quæ ratio & natura non capit: sed enim immori semper illos suis votis stultè conceptis. Alta si volumus sine damno, cælo nos accipere Spem debere, non terrâ.

Esse quid hoc dicam; quòd Spem sibi nullus ab alto,
  Quilibet alta tamen speret,& alta petat?
Nil nimium, nihil est miseris mortalibus altum.
  Cælum ipsum stultâ Spe sibi quisque petit.
Quin etiam æternum voto sibi deputat æuum,
  Momento potuit qui periisse breui.
Sæpè puer dixit: Post tot mutabimur annos;
  Stultitiæ potero tunc satur esse meæ.
Mox fora, dein placidæ sectabimur otia vitæ,
  Otia deliciis immoritura suis.
Ille meum tabulis nomen testantibus addet,
  Ille domum, ille etiam deferet arua mihi.
Rex titulos dabit,& genti concedet honorem
  Quem mecum Proceres commeruere mei.
Intereà me turba sequens numerosa meorum,
  Ille patrem, alter auum dicet, & alter herum.
Vox non vna quidē,sed erit tamen omnibus vna
  Quâ tantæ dicar posteritatis honor.
Denique, si quis erit vitæ modus, ibimus olim,
  Ibimus. in tumulo condar ouante senex.
Stulte puer: votis quid enim puerilibus optas?
  Spes desiderio sit minùs ampla tuo.

Post

Poſt aliquot meliora ſequens mutaberis annos?
Poſt fora? poſt mentis otia? poſt tabulas?
Poſt titulos moriere ſenex? Nimis alta volenti
Spes etiam incautâ cæde nocere poteſt.
Spes auerſa ſolet per vulnera ſæpiùs vnco
Eluctantem animam proſtituiſſe ſuo.
Fallor an à votis læſus puerilibus ipſe
Flet puer, & vultu fit moriente ſenex?
Intus eunt oculi, rubor aufugit, ora mouentur,
Contrahit exſangues pallida ruga genas.
Iam moritur puer ante diem: niſi quòd priùs illum
Momento fecit Spes nimis alta ſenem.
Scilicet incautum, dum fertur in ardua, tergus
Impulit; impulſu Spes ſtetit alta ſuo,
Sperantemque ſuum malè perdidit. Ardua ſi te
Spes rapit, hinc certè cautior eſſe potes.
Quà licet vtere Spe; Spes talem non habet vſum.
Pro votis non eſt illa leuanda tuis.
Vitæ ſumma breuis, Spem tollere nos vetat altam.
Quæ venit ex humili, Spes metuenda venit.
Ardua ſperantem rapiat Spes edita cælo.
Spes nocet è vili ſi qua feratur humo.

Lætentur omnes qui ſperant in te Domine.
Pſalm. 5.

EMBLEMA XX.



Subſiliens cælum ſperat, & emoritur.

Deſiderantem quiſquis hic animum tenet,
Tenet dolentem : liberum quiſquis facit,
Facit beatum, Speque lætantem ſuâ
Iubet interire. Diſcat exultans mori,
Sperare cælum quiſquis exſpirans poteſt.

Meritò

Meritò dolere cælestem hominis animum obscuro corpori velut carceri recens infusum; sed iniuriâ dolere eum imminente iam morte, cùm post illam habeat, si modò velit, Spem vitæ melioris in cælis.


FLamma peregrinæ cùm primùm inducta lucernæ
Iussa fuit modicos capta subire lares,
Materiamque leuem sudanti exsugere lychno,
Atque oleo ardentem sustinuisse sitim,
Tunc, velut exsilij sentiret damna recentis,
Tunc, veluti superis mallet adesse plagis,
Emicuit face permodicâ, radiisque coactis,
Pallida contractâ lumina fronte tulit.
Nunc vbi consumpto moritura est deniq; succo,
Liberaque æthereas est aditura domos,
Vt salit! vt pleno scintillat & æstuat igne!
Limpida quàm clarâ lumina fronte gerit!
Emicat, & sponsi salientis imagine sumpta,
Aëre se lætam sustinet in medio,
Iam maior, iam digna polo: sentire videtur
Dotalem cæli non procul esse domum.
Ardet enim, impatiensque sui, maiorque videri
Iam cupiens ignem spargit, & egreditur
Subsiliens plaudensque sibi, vacuasque superstes
Lampadis extinctæ despicit exuuias.
Scilicet agnatos stellis radiantibus orbes
Et cæli patrios sperat adire lares:

Sperat, & exilit: hæc illi Spes summa ministrat
Gaudia; Spes radio cogit amante mori.
Me quoque, bruta licet fuerit nascentis origo,
Nec satis ipsa sui conscia vita mali:
Me tamen exsilij nascentem perculit ingens
Horror, & horrori scena parata meo.
Natus eram, fleui; ac, veluti si fata vocarent,
Funeris incœpi præscius esse mei.
Quin animam flammis genitum cælestibus ignem
Credibile est sociis indoluisse malis.
Luce quidem certum est tenui micuisse, breuemque
Tunc habuisse suâ de ratione facem.
Hactenus ergo mihi benè conuenit edita lampas,
Quæ solet exiguâ prima micare face.
Sed moritura nimis mihi diffidet: illa triumphat,
Et salit, & saliens se leuat ad Superos
Plena sui, Spe plena, solique oblita maligni,
Ambit amatque polo liberiore frui.
Mors vicina animum mihi contrahit, obruor illâ,
Vt leuis infusâ fax tumulatur aquâ.
Pestifer autumnus tepido prouectus ab Austro
Funera si qua domum detulit in patriam;
Hostis & ira Dei si sæuiat, hæret acerbæ
Ante oculos semper mortis imago meos.
Hanc timeo: timet obiectis ita paruulus vmbris,
Maternoque timens protegit ora sinu.
Protegit ora sinu, sed pallida sunt tamen ora,
Quæ modò purpureis tincta fuere rosis.
Fletus inest oculis, oculisque natantibus ardet
Exiguus flammâ deficiente nitor.

Per Superos, ſupero per quidquid amabile cælo
eſt,
Perque meo quidquam ſi mihi dulce ſolo eſt;
Per mortem, nimiumque mihi mala nuntia
mortis,
Perque animos, animos qui rapuere meos;
Quid precor hoc tandem monſtri Deus? Vna
timere
Mors iubet, illa ſuo mors malè digna metu?
O Anime! ô ſuperis concepte caloribus ignis,
Olim ſideribus adnumerande tuis,
Quid metuis refugiſque mori? properare decebat,
Lumineque in cælos ſubſiliente rapi.
Pone metum: aut patrios repetit quæ læta penates,
Iam poterit radio flamma dolente mori.

Expectantes beatam Spem, & aduentum gloriæ magni Dei. ad Tit. 2.

EMBLEMA XXI.



——— *Spes omnis ab alto est.*

Qui nil ab alto ſperat, & ſperat tamen,
Seſe ipſe Spe fatigat & ludit ſuâ.
Spes in profundum nulla non alto venit,
Non lapſa cælo. Spe breui numquam exigi
Aeternitatis curſus immenſæ poteſt.

In


In rebus huius vitæ minimis esse fors aliquid quod speretur à terrâ; sed stultum ac miserum esse eum qui in negotio viâque vitæ æternæ aliunde quàm à cælo auxilium speret.

CYmba per angustum quæ languida ducitur amnem,
Sæpè vel in conto Spem posuisse potest.
Duci fune potest, Spe funis in vltima duci,
Ducitur exiguo si qua carina mari.
Spes etiam in geminis nec inanis habebitur alis,
Amne breui quoties est agitanda ratis.
Spem quandoque vagus dabit æstus & vnda secundam,
Prora per angustas cùm leuis ibit aquas.
Si qua sed immanes pelagi tranare per vndas,
Orbem si qua ratis quæret adire nouum:
Si notâ procul à patriâ, procul æquore toto
Iussa sit occiduis pandere vela plagis;
Hîc, vbi nulla oculis designet littora Lynceus,
Vndique sed cælo iuncta sit vnda suo:
Hîc, vbi non vllo pelagus superabile plumbo
Vix subeat longo tempore mersa ratis:
Hîc, vbi ceu medio naturæ in limine pendens,
Sit procul à cælo prora, soléque procul:
Facta velut parui vacuo pila pendula mundi,
Quam circum impatiens æstus & vnda fremant:
Stulta sit illa ratis, si Spem tibi credat eunti,
Nec tamen hàc summo Spem putet esse polo.

Vtere tum conto bolidis cùm deficit vsus:
  Fune mouere ratem remigióve para,
Littora cùm toto fugere natantia mundo,
  Littora cùm celsâ nullus ab arce videt.
At sperare æstum poteris fortasse secundum.
  Nempe vbi nullus, iter qui leuet, æstus erit.
Desperata ratis! medio peritura profundo,
  Antè putri sensim dissoluenda situ,
Quàm portū procul aspiciat; nisi quærat ab alto
  Quam dare Spem cælo lætior aura potest.
Discite mortales, quibus est fugientibus horis
  Summa pererrato terra petenda mari.
Vita quibus, via per fluctus, per inhospita mundi;
  Nauita mens; ratis est corporis emeriti
Hospitium malè compositum, malè condita moles,
  In lacrymis tantùm sueta natare suis.
Discite quæ tandem Spes sit super: vnde petenda:
  An sit ab ingrato fortè petenda solo:
An potiùs cælo quærenda sit omnis ab alto,
  Omnis ab æthereis Spes sit habenda plagis?
Portus abest immane procul: non sufficit illi
  Spes breuis, à modico vix benè nata solo.
Spes alto quærenda & Spes longissima: Portum,
  Sit licet hîc cælo proximus, inuenies,
Hac duce & aspirante viam quicumq; profundo
  Quæris, & in longum carbasa tendis iter.
Ilicet, aura vocat, cæli vocat aura sequentes;
  Ilicet, immensum Spes breuiabit iter.

Propter Spem quæ reposita est vobis in cælis. ad Coloss. 1.

EMBLEMA XXII.



——— *Quò viuens spirauit, eódem Spirat adhuc moriens, speratque inuisere cælum.*

Super astra fax ascendit; ascendit vapor
Moriens eódem. Vile sit, sit horridum,
Sit lucis expers corpus humanum; tamen
Quò casta mens præcedit, inueniet viam,
Cæloque purum sidus ardebit suo.
Animare Spes extrema morientem potest.

Viam

Viam in cælos desperandam non esse corpori mortali, quam præuius in cælos animus designat, & sternit.

VIximus erecti cælo, sperauimus illud,
Illud anhelanti Spes mihi summa fuit.
Iamque Deus cursum quem iussit obiuimus omnem;
Funeris indicium fumus hic esse potest.
Ille, prior quò flamma, sequens contendit eòdem,
Et summo gaudet non procul esse loco.
Ille suam certo designans tramite metam
Huc abit, ereptam quò scit abîsse facem.
Ille etiam exhausto cùm totus abiuerit igne,
Aureolam sese colligit in nebulam,
In nebulam quæ sidereo micet ignea sole,
Et liquidas cæli pendeat inter aquas;
Pendeat æterno nil concessura sereno,
Perpetuumque orbi pænè datura diem.
Aspicis hæc vitæ pars vltima & vnica nostræ?
Pars animæ quondam dissoluenda meæ,
Aspicis? & nescis quónam tibi restet eundum?
Quæ via, quæ cælo Spes sit aperta tuo?
Certè animus non fallet iter; comitantibus astris
Diriget ambiguum ponè sequentis iter.
Hac age, carpe viam cælo. Te mobilis aura
Euehet aëreis templa per alta Notis.
Tunc erit vt videas, tunc vt videaris & orbi
Vincere conspicuâ sidera clara face.


Tunc

Tunc erit vt, licet hîc miserum & sine nomine corpus,
Tunc, licet obscuri massa ferare luti,
Tunc erit! ô quid erit Superi? Spes conscia dictat
Multa; sed illa meis non referenda modis.
Tunc! satis est voluisse loqui: sentire quod intus
Spes sonat obscuro carmine, plus satis est.
Sic Anime, sic ô nostri pars maior, & ô tu
Pars minor è molli fictile corpus humo,
Sic pariter speremus: iter transuersa morentur
Nubila, certantes docta timere Notos,
Mille viam mala præpediant; tamen ibimus ambo,
Ibimus, vna simul meta duobus erit.
Meta meis quam disposuit Spes debita rebus,
Spes etiam amisso non abitura die.
Tunc abitura, graues cùm pertransiuerit vmbras,
Indueritque animum corpus inane meum.
Si quis erit, qui plus etiam nunc scire laboret,
A desiderio plus roget ille suo.

Fundati

Fundati & stabiles & immobiles à Spe.
ad Colosſ. 1.

EMBLEMA XXIII.



Spes ferit, & tamen vna iuuat, mentemque quietam
Sola facit. ——————

—— Quò Spes mordet & torquet magis,
Secura magis eſt. Sola conſtantem facit
Quæ vulnerat. Vacillat inconſtans ſinu
Quæ delicatæ mentis ignauo iacet,
Nullumque ſacro vulneri locum inuenit.

Quot

Quot Spei, tot esse nobis hîc agentibus doloris maximi argumenta; indulgendum tamen dolori esse aliquid, dum Spes hinc certa probetur.

NAtus eram: Spes me cælum spectare iubebat;
Spes tamen illa mei causa doloris erat.
Nox erat; auroram Spes promittebat amicam;
Vda tamen lacrymis Spes erat illa meis.
Languebam: Spes mentis erat medicina solutæ;
Sed medicina tamen plena timoris erat.
Emoriturus eram: Spes vitam extrema tenebat;
Ipsa tamen vitæ Spes mihi luctus erat.
Hoc erat, ô cæli, vestris quòd amoribus ardens
Tam largas toties cor mihi fudit aquas:
Quòd desideriis nil proficientibus acti
Expressas toties iuimus in lacrymas,
Iuimus in gemitus, in acerbas sæpè querelas
Iuimus; ille Spei fructus amantis erat.
Sæpè serena dies, nox sæpè serena refulsit;
Nox mihi nulla, dies nulla serena fuit.
Ipsa dies, etiam tunc cùm formosa placeret,
Ex oculis imbres iussit abire meis.
Nox quoque rore carens, oculos rorare coëgit,
Sideraque in lacrymis mersa natare meis.
Scintillare meo cælorum lumina fletu
Iussit, & ipsa meis astra dolere malis.
Quidquid erat, Spes illud erat: Spes cruda nouabat
Vulnera; Spes animæ luctus amantis erat.

O quo-

O quoties cælo cùm sidera sparsa viderem;
Illa meum, dixi, sidera lumen habent.
Illa oculos rapuere meos, cæloque dedere,
Illa animis animos eripuere meis.
Sed tamen absentes non semper amabimus, inquam,
Spes mea præsentes vos mihi restituet.
Restituet? crudele nimis quodcumque futurum est!
Præteritum ô quantò dulcius esse potest!
Restituet? Spes non aliud tamen audet amanti
Dicere: præteritos non amat illa dies.
Scilicet hinc Spes dulce malum quem tangit amando
Vulnerat, hinc morsu nulla dolente caret.
Spes hinc delicium crudele minatur amanti;
Tormentoque piam se probat esse suo.
Sic age, fige meo mea Spes tua vulnera cordi;
Sustentant animum vulnera fixa meum.
Torqueri iuuat, optati dum causa doloris,
Causaque tormenti Spes, sed amantis, erit.
Lædit acuta suo si quem tenet Anchora morsu;
Certa tamen, nisi sic vulneret, esse nequit.

Per

Per patientiam ..... Spem habeamus.
Rom. 15.

EMBLEMA XXIV.



— Spes à duris micat edita rebus.

——— Spes sæpè spectari potest
Vbi nulla Spes videtur. in duro licet
Rigidoque, flammæ semen abstrusum latet.
Lubet experiri quanta Spes superet? pati
Aduersa te delectet. Extinctam quoque
Animare per tormenta Spem virtus potest.

Non

Non esse desperatè querendum homini inter rigida & aspera vitæ mortalis; quandoquidem ex his ipsis educi Spes viua possit, si modò patientiæ virtus accedat.

QVid quereris mea vita? tuus quòd abiuerit ignis?
Quòd tua sit superis flamma recepta plagis?
Frigida perpetuos quòd agat natura Decembres?
Aeternæque illi tempora noctis eant?
Quòd nihil à profugis sperandum deniq; cælis?
Quòd nihil à tardâ denique restet humo?
Falleris ô mea vita: gemis temeraria, nec te
Spes sinat insano læta dolore premi.
Esto, tuus cælo iam degat amabilis ignis,
Quin etiam cælo fugerit ille suo.
Omnia tristis hiems tegat vndique, & vndique torpor
Squallidus horrendâ compede vincta liget:
Spes tamen in rigidis etiam latet abdita rebus;
Illa sed aduersis elicienda latet.
Ictibus illa tuis gaudet; crebrisque subinde
Cernitur erumpens viuere verberibus.
Sic placidus micat horrendis è nubibus ignis,
Ventorum attonitos cùm quatit ira polos.
Sic venis venit è silicis scintilla reclusis,
Quâque minùs speres parte fauilla micat.
Ergo licet fractis quandoque quis enatet exspes
Nauibus, & rigidis fluctibus expositus

Littore

Littore crudeli, nudi Iouis aſpera toto
  Corpore per noctem frigora ſuſtineat;
At ſperet meliora tamen. quot adeſa maligni s
  Fluctibus occurrunt ſaxa pedeſque premunt,
Tot video argumenta noui feruoris. Amicus
  Scilicet è multis vnus & alter erit,
Qui tenuem ſilici ſcintillam excludat Achates,
  Aridaque aggeſtis protinus è foliis
Nutrimenta parans, flammæ teſtetur amœnæ
  In mediis propè iam fluctibus eſſe locum.
I nunc,& rigidæ qui non capis omina vitæ,
  Caſibus in duris Spem ſupereſſe nega.

Proba-

Probatio Spem operatur. ad Rom. 5.

EMBLEMA XXV.



Aspera Spem firmant. ———

Vbi plana fors præcedit,& ſternit viam,
Ibi fixa Spes hærere vix vmquam poteſt.
Per iniqua, per prærupta quam Virtus rapit,
Hanc ſortis ipſe tractus aduerſæ tenet,
Firmamq́ue reddit. Ponat in plano ſuam
Qui Spem per æquor ſerpere ignauam volet.

Cùm

Cùm nihil incurrit aduersi, instabilem & inertem esse Spem nostram: nullibi eam meliùs ac certiùs quàm rebus in difficilibus retineri.

Ignauum per aperta trahes sine vulnere plaustrum;
Altiùs aduersam findit arator humum.
Languida composito putrescit in æquore puppis,
Pigra soporatis cùm iacet vnda Notis:
Puppis inæquales citò proruit acta per vndas,
Spemque nisi à duris non habet illa Notis.
Quò magis indomitis plaustra obluctantia glebis
Promouet aduerso Taurus vterque pede;
Hoc & certa magis & fixa tenaciùs ipsum
Spes alit in rebus tristibus agricolam,
Spes hilaris, Spes optatæ lætissima messis,
Spes etiam in seros commemoranda dies.
Ipsa nisi in scabris (quæ Spem notat) Anchora rebus
Non solet in morsum prona iacere suum:
Plana fugit, cupiensque rapi, patiensque moueri
Insequitur ventos, insequiturque rates:
Scabra tenet, renuensque trahi, impatiensque moueri,
Non sequitur ventos, non sequiturque rates.
Rebus in aduersis Spes fixa profundiùs hæret,
Hæret inæquali certa tenaxque loco.
Dic vbi erat? Spes ille suas quâ parte locarat,
Qui modò de tantis millibus vnus erat?

L Vnus

Vnus in exemplum patienti traditus orbi,
Vnus, amorque Dei vindicis, atque dolor?
Aſpice deiectis vt agat miſerabilis aruis,
Aſpice cœnoſo qualiter in tumulo,
Inter acerba ſedens natorum fata, domuſque
Funera, vix ſibi nunc ipſe ſuperſtes agat.
Deficit en, teſtâque velut moriturus acutâ,
Teſtamenta ſuo ſcribit acerba libro.
Quoſque habet, & patitur, teſtatur adeſſe dolores.
Fallor, an heredem me cupit eſſe ſuum?
Accipio bona quæ genitor teſtata dediſti,
Quæque reor tantis ſumma latere malis.
Non fruſtrà extremis deſcripta doloribus hærent
Tranſſcribenda animo verba ſuprema meo.
Occîdat licet ipſe; tamen ſperabimus, inquit:
Perdat; erit vitæ Spes tamen ille meæ.
Omnia ſint deiecta; negans tamen vna moueri
Spes manet in tantis nil variata malis.
Quid facimus mea vita? nihil ſperabimus ergo?
Nón erit in certo Spes ſatis vlla loco?
Aſpera Spem firmant. Deſperet, iniqua prementis
Qui mala Naturæ ſuſtinuiſſe nequit.

Ingrati

Ingrati Spes ...... disperiet tamquam aqua supervacua. Sap. 16.

EMBLEMA XXVI.



——— *Spes rebus affixa fugacibus, vni*
Frangitur afflatu. ———

Quicumque Spem securus æternam petis,
Spem fige cælo: fige, sed vero tamen
Solidoque cælo fige. Blanditur magis,

Magis ampla fortè ſpondet, inuitat magis
Inane, vile, paruulum, cœno editum
Spumâque cælum; nempe quid ſperes tamen,
Fugitiua Spes docere prenſantem poteſt.

Pleriſque hominum ſeriam, ſed & ſeram lacrymarum cauſam eſſe, quòd rebus inaniſſimis ſolidi neſcio quid & pulchri præ ſe ferentibus ſtultè defigant Spes ſuas: tutiùs Spem omnem à nobis & prudentiùs in ſolido collocari.

PAruulus afflatu ſpirans genialiter vno,
Fortè puer conchâ iuſſerat exiguâ,
Iuſſerat æquoreis ab aquis emergere cælum,
Quod Deus ipſe ſuum pænè putaret opus.
Cælum erat, auricomi diſtinctum lumine ſolis,
Reſperſum radiis, ſideribuſque ſatum.
Ductile erat, liquidum, placideq; volubile cælum,
Et plenum veluti nubibus intus erat.
Septenos illi dixiſſes ire Planetas,
Et duodena ſuas ſigna tenere domos.
Lactea quin etiam confuſi Zona ſereni
Cinxerat amplexu ſidera parua ſuo.
Puluis erat velut in medio libratus, & ipſam
Aſpicientum oculis obiiciebat humum.
Quidquid erat magno, minimo lucebat in orbe,
Totus in exiguo corpore mundus erat.
Cælum erat à Puero genitum; puerilibus aptum
Illud erat votis, luſibus illud erat.

Quin

Quin etiam puer à puero deceptus amico,
  Hoc cælum est, dixi nuper, eritque meum.
Cælum bulla fuit. ô bulla! tenerrima bulla!
  O procul attactu bulla fugata meo!
Bulla procul votis per inane sequentibus acta!
  Et pariter votis bulla perempta meis!
Bulla fuit: quid me cælum sperare iubebas
  A desiderio capte puelle meo?
Spes fuit illa; suum sed vana fefellit amantem:
  Spes fuit; at votis non satis æqua meis.
Nunc ego te mea, dicebam, nunc ecce tenebo,
  Nunc mea Spes, illis nunc eris in manibus:
Dicebam; simul afflatu sed percita primo
  Spes sese nostris abstulit ex oculis.
Fallimur; ipsa oculis sese intulit. Hei mihi quantas
  Ex oculis lacrymas exprimit illa meis!
Bulla fuit, nunc luminibus aqua salsa peremptis,
  Inde sui similes bulla profudit aquas.
Discite mortales tenui Spem figere cælo;
  Discite ficta luto signa Deumque sequi.
Non ego vos, licet æthereum mentita decorem
  Aemula stet cælo bulla, Deumque sibi
Arroget auctorem, non vos sequar. Ite, caducis,
  Ite, leuem vacuis rebus habete fidem:
Figite Spem bullis puerilibus. abdere cælo
  Me iuuat; in solido Spem retinere iuuat.
Sæpè pruinosæ sol factus amasius auræ,
  Vellera formosæ spectat amœna niuis.
Sæpè, nouum velut inde queat sperare nitorem,
  Pronior hanc fixo lumine prosequitur;

Et videt, & ſpectans noua ſidera; Sidera, dicit,
Credibile eſt cælos deſerüiſſe ſuos.
Intereà nix viſa fluit, ſolque ipſe nitenti
Se quoque deceptum rore fuiſſe videt:
Terra putris ſupereſt. Sis ſole ſagacior ipſo,
Deceptus vacuâ Spe tamen eſſe potes.

Sperans

Sperans non infirmabor. Psal. 25.

EMBLEMA XXVII.



——— *In dubio secura recumbit.*

——— Ibi se certa Spes firmam tenet,
Vbi cuncta nutant. Stes in ambiguo licet
Natura, stes in lubrico; potes tamen
Perstare. Spes hærere constantes iubet,
Vbi mundus ipse titubat, & sui impotens
Vacillat orbis. Casibus non est locus,
Vbi casus animos ipse constantes facit.

In rebus quantumcumque dubiis, ac desperatis, Spem tamen immobilem stare posse: sic exemplo docuisse suo Heroas sæpè plures, præsertim Abrahamum: sic tandem conandum esse etiam nobis toties iam edoctis.

CRedideram solido quòd non nisi fluminis alueo
Anchora sollicitas sisteret vnca rates.
Nunc etiam mediis immota tenetur ab vndis,
Nunc etiam dubiis fixa recumbit aquis.
Nunc stabilẽ facit instabilis; nunc lubricus amnis
Constantem posito Spem facit esse metu.
Nunc vbi cuncta cadunt, ceciditque exterrita nuper
Anchora, securis firma tenetur aquis:
Statque immota magis, quàm si trabe fixa profundâ,
Et solidâ ferri compede vincta foret.
Ergóne tanta vagis constantia prodit ab vndis?
Tam stabilem dubius Spem facit esse locus?
Nempe fuit priùs vnda suis exercita ventis;
Vnda priùs gelidis flatibus obriguit,
Parque etiam gelidæ terræ stetit: inde tenorem
Illa nouum & solidos induit illa sinus.
Lapsa dein super ipsa graui stetit anchora casu
Firmior; immotam lubricus amnis habet.
Hoc erat in dubiâ quòd constans sorte, futurus
Innumeris olim gentibus ille pater,

Ille

Ille Abraham, licet ipſa etiam natura cadendum
Diceret, immotus Spe tamen ipſe ſuâ
Conſtitit. Vnus erat Patri puer additus Iſaâc:
Spes puer hic longæ poſteritatis erat.
Sic erat in fatis; ſic æthere miſſus ab alto
Numinis interpres ipſe locutus erat.
Et propè iam plenis creſcens feliciter annis
Promiſſi certum fecerat ille Patrem:
Ecce Deus,Deus ipſe, ſibi ſua dona repoſcens,
Surge; ſuum Natus concidat ante Patrem,
Montibus in noſtris (Deus aſſignauerat illos)
Ille ſuum cæſus concidat ante Deum.
Victima Natus erit,dextrâque Parentis ad aram
Excipiet iugulo dona paterna ſuo.
Dixerat. obriguit Patri cruor. Ipſaque prono
Spes ſuper hunc lapſu concidit, & ſolido
Sanguine fixa ſimul conſtans ſtetit. Ibimus, inquit,
Ibimus, & contra quàm velit ipſe timor,
Spem contra ſolitumque metum mortalibus, in Spem
Ibimus. hæc tantùm dixerat, inque viam
Se Pater & Natus paucis comitantibus vrget,
Mandatumque Deo reddere pergit opus.
Iamque ſenex puero fatalem eduxerat enſem;
Pronior in lapſum iam ſacer enſis erat.
Stabat adhuc Spes fixa tamen. Conſtantia vicit,
Speſque Patris dubio certa relicta loco eſt.
Suſtinuere manum Superi: & vox lapſa per auras,
Sufficit, incœptum deſere, dixit, opus.

Deſerũit, Puerumque Pater complexus, in illo
Denique ſecuram figere Spem potuit.
Et potero, quia me Superis vrgentibus, hinc atque
Inde procelloſi verberat ira maris?
Lapſaq; in abiectum conſpirat machina mundi,
Totus & impoſito deprimit orbe polus;
Quin etiam ipſa ſuper Natura ferociter vrget,
Spem potero inſtabilis deſerũiſſe meam?
Aude Anime, & conſiſte loco. Conſtantia caſu
Se probat: eſſe ſuper Spes quoque lapſa poteſt.

Contra

Contra Spem in Spem. Rom. 4.

EMBLEMA XXVIII.



——— *Spes vrget originis vndam,*
Quò natura negat. ———

——— Quò renuit grauis
Natura, Spes adurget; & fonti ſuo
Fontem reponit. Quiſquis ex humili ſubis
Mortalis, alto ducis acceptum genus.

Huc te iubet redire Spes, quæ viuidos
Attollit artus, quæque te terram tuam
Vetat intueri. Generis est sui immemor,
Sperare quisquis aliud à cælo potest.

Quòd ex altissimis quoque montibus sursum emergant fontes contra naturæ insitam grauitatem, non aliunde esse, quàm quòd illi originem sperent suam terrâ ipsâ, vnde prodeunt, altiorem: contra Spem quoque, in Spem cæli, enitendum esse homini, qui inde se haustum esse meminerit.

ILle liquor cæli, telluris amabilis humor,
Qui placido dici nomine fontis amat,
Vnde per anfractus sinuosaque viscera terræ
Tam valido in cælos impete prosiliat,
Exsiliique sui veluti pertæsus, anhelet
Libera sidereæ templa subire domus;
Sæpiùs incertos tenuit, dubiosque reliquit,
Sola quibus verum discere curá fuit.
Ecce etiam aërei saliens è vertice montis,
Sursum agit erectas fons animosus aquas:
Et, velut alta parum sint iuncta cacumina cælo,
Ambit adhuc cælo sed propiore frui.
Res patet, arcanis latet abdita causa sub vmbris;
Paucis nota satis causa sepulta latet.
Aestuat, atque adytis exæstuat vnda profundis,
Puluis vbi accensi sulphuris emicuit,


Sup-

Suppositisque velut solet olla tumere fauillis,
Altiùs vndantes ire coëgit aquas.
Sic aliqui, ast alij non sic docuere magistri:
His fuit à valido causa petita mari.
Nam quoties profugus repetito verbere pontus,
Illidit scabris cærula littoribus,
Atque impressa cauis timet vnda, fugitque sequentem,
Altiùs impressam promouet vnda sequens:
Altiùs inde sequens iterùm mouet vnda priorem,
Perpetuas pelago substituente vices:
Dum tandem, post telluris diuortia mille,
Quà data porta, solo non prohibente, ruat;
Atque oblita maris, salsique oblita parentis,
Incipiat longâ dulcior ire viâ.
Parcite Doctorum collegia, gensque togata
Parcite; me simili non licet ire viâ:
Quippe vetat Natura. Leuis quòd in ardua sursum
Emicat ex ipsis vnda cacuminibus,
Camporum vnde patet facies proiecta, suisque
Terra sub aspectum collibus æqua iacet,
Non æstus facit Oceani, non sulphuris ardor;
Ipsa recèns nati fontis origo facit.
Inde per anfractus, per & auia & inuia terræ
Limpidus errantis voluitur imber aquæ:
Inde ruit, lapsusque sui pertæsus, in æquam
Nititur erumpens ire superficiem:
Momentis donec paribus constantia motum
Frænet, & emeritas sistere cogat aquas.
Quò natura negat, Spes vrget originis vndam.
Sit grauis vnda, tamen Spes facit esse leuem.

Fortè etiam, quia sidereis è nubibus ortam
Se meminit, cælum sperat amatque suum:
Fortè suum radiis qui tollat amantibus ignem
Spectat, & allapsu gaudet amante sequi.
Surge Anime ex humili: nec enim te terra creauit;
Terra licet pingui fouerit vda sinu.
Surge Anime, in summos Spes vrget originis orbes;
Surge, iacere humili Spes vetat illa solo:
In Spem nitere contra Spem, contraque laborem
Corporis, & socij grande prementis onus.
Fortè etiam solio te sol speculatus ab alto,
Aspectu dignum sentiet esse suo.
Fortè breuî aspiciet, radiisque fauentibus vsum,
Indigetem cæli te volet esse sui:
Atque inter volucres, ventorum examina, nubes,
Sideraque & stellas inter habere locum.
Hæc capere, hæc sperare potes mens edita cælo?
Et potes abiecto fixa manere solo?
Ima potes spectare? potes ambire profundum?
Parce; solo dici iam propè nata potes.

Spes quæ differtur, affligit animam.
Prouerb. 13.

EMBLEMA XXIX.



Spes summâ non caret vlla cruce.

Qui mentis vllum ferre tormentum nequit,
Spem ferre nescit. Spes crucem secum ingerit;
Crux summa Spem suspendit, & acuto iubet
Mordere ferro pectus humanum. Spei
Sua cuique crux est, Spesque crux etiam sibi est.

Esse

Esse quidem ex consideratione ſperatæ felicitatis dolores ſperantibus aſſiduos, ſed ſuaues tamen illos atque iucundos.

VIderat æternos cælorum Ignatius ignes,
Ducere ſidereos viderat aſtra choros.
Ocyùs emicuere oculi ſpectantis, & ingens
Non ſine tormento ſuſtinuere iubar.
Nox erat alta foris, ſed nox erat altior intus;
Cælum innube, animus nubilus intus erat.
Nulla poli faciem vitiauerat inuida nubes,
Denſa Patris vultum nubila condiderant;
Ridebat polus hinc; ſed flens Ignatius inde,
Ex oculis tot aquas quot dabat ille faces.
Quid fles, Ignati, quid fles? cognata ſubinde
Ipſa fuere palàm ſidera viſa queri;
Et tremulis, veluti cuperent ſi paucula paruo
Murmure verba loqui, ſigna dediſſe labris.
Viſa ſubinde queri, bona quòd communia ſolus,
Quòd ſua non caperet gaudia, viſa queri.
Ergo oculis quantum licuit plorantibus aſtra
Suſpiciens, O Spes vnica, Spes animi
Vltima, dicebat; quid enim mea ſidera ſummum
Ereptum mihi me tollitis ante diem?
Vos eſtis mea Spes, ego ſum dolor omnibus vnus.
Speratæ cruciant pectus amantis opes.
Cælum oculos habet atque animos; humus infima pigrum
Debileque à nimio pondere corpus habet.
O terra! ô quid me cælum ſpectare iubebas!
Vt fieres lacrymis fors lutulenta meis?

O cælum!

O cælum! ô cur inde mihi spectabile cælum est?
Forsitan hinc oculis vt potiare meis?
Addo animos. Potiare animis domus ardua nostris,
Quos humus exiguo non capit ima solo:
Non capit exsilij casa contractissima nostri,
Non capit angusto sordida terra sinu.
Vos sperati ignes, sperataque sidera cæli,
Vos tormentum animi deliciumque mei!
Vos certè licet vt videam, speremque videndo,
Fors etiam pedibus substituenda meis;
Vos natale solum, vos estis amabile limen:
Terra solum ipsa mihi sit licet, exsilium est.
Ipse quidem excrucior: mea Spes me sola videntem
Excruciat; summam Spes habet illa Crucem.
Durabo tamen. Ignati! feliciter! euge!
Macte animo Ignati! iuuerit æthereum,
Iuuerit incumbentem animo Spem sæpè subacto
Et superimpositam sustinuisse Crucem.
O ego quo possem socios sentire dolores,
Vt cuperem hanc animo Spem retinere meo!
Vt cuperem hinc oculisque tuis animisque videre
Quæ fugiunt oculos astra videnda meos!
Vt cuperem hanc perferre Crucem securus, & inter
Tormentumque animi deliciumque mei
Luctantem exspirare animam! Spemque inter & illam
Quam Spes ipsa facit deposuisse Crucem!
Non equidem infelix morerer. Spes vltima vitam
Esse grauem, mortem sed facit esse leuem.

Nihil

Nihil ad perfectum adduxit lex : introductio verò melioris Spei, per quam proximamus ad Deum. ad Hebr. 7.

EMBLEMA XXX.



— *Spes ſurſum rapit ignea, vita deorſum.*

Mea me deorſum vita, Spes ſurſum rapit.
Mea vita me conſumit, & ſemper magis
Ad ima ducit; Spiritus ſurſum erigit,

Spe-

Speransque sursum spirat, & sursum euolat
Etiam ante mortem. Carne consumptâ quoque
Spes summa cælum quærit, & cælum inuenit.

Spe quidem ad æterna contendere animum humanum; sed eum ipso simul vsu vitæ mortalis sensim magis ad hæc inferiora descendere: felicem esse eum qui vitâ adhuc integrâ Spe suâ citus euaserit in cælum.

Quæ sensim liquidæ nutrita bitumine ceræ
Incolit obscuros hospita flamma lares,
Illa quidem sursum spirat, sursumque laborat
Consumptas cælo reddere delicias;
Illa quidem sese tenues educit in auras,
Et sensim altiùs atque altiùs æthereos
Emicat in cælos; sed eodem viuida motu
Ad superos quò se prouehit vsque lares;
Deprimitur simul, ac miseræ velut indiga terræ,
Cogitur inuitâ serpere in ima face.
O Anime! ô summo non degener ignis ab igne!
Ignibus æthereis ignis iture comes!
O Anime! ô quantum tua te natura videtur
Aequalem positæ constituisse faci!
Hanc viscosa tenent pinguis contagia terræ;
Humida te lenti corporis vmbra tenet.
Aestuat hæc; te quantus agat calor intus, & vrat,
Testantur sparsis lumina cum lacrymis,
Testantur pauidis suspiria mista querelis,
Quique tremens toto fumigat ore dolor,

Vdaque

Vdaque plorantis referens insignia flammæ,
Collacrymare sibi saxa vel ipsa facit.
Emicat hæc cælo; te Spes rapit ignea cælo,
Spes tua te cælo iuncta Deoque rapit.
Deprimit hanc velut ipse sibi contrarius ignis,
Seque humilem, fax quæ sustulit, ipsa facit.
Hei mihi! certa nimis nostrisque simillima rebus
Conueniunt fatis vltima fata meis!
Ipse animus, patrio quem spes leuat ignea cælo,
Ipse suo vitæ pondere deprimitur;
Ignibus ipse suis, votisque sequacibus vltrò
Decidit, & pingui serpit inanis humo.
Quærit amica sibi fugientis pabula vitæ,
Et propè iam cæli non memor ima petit.
Vsque adeóne mori miserum est? adeóne beatum,
Segniter exhaustos detinuisse dies?
Aetheream quid enim referens ab origine flammam,
Degener extremâ viuere quæris humo?
Pabulaque ignauæ pigra dispensare fauillæ?
Tamque diu vitæ funera ferre tuæ?
Vt tua te clauso sursum Spes denique cælo
Tollat, & ingrato cogat odore mori?
Ante diem, morere ante diem mea vita supremum:
Sideribus propior sic moriere tuis.
Altiùs à terrâ flammam leuat integra tæda;
Integra sperantum vita propinqua Deo est.
Longæuis Spes sæpè Deo disiungitur annis:
Vita nocet. Felix qui caruisse potest.

LIBER

LIBER III.

EMBLEMATVM DE CHARITATE.

IN LIBRVM III. EMBLEMATVM DE CHARITATE PROGRAMMA.

Viderat hîc sacri præfixum nomen Amoris,
Ille nimis petulans, ille profanus amor:
Vicimus, exclamat, Spes *est erepta,* Fidesq́;
Vltima sed nostri carmina iuris erunt.
Fallere vane puer: non hîc tua iura tueris;
Nec tua nos, cælo vindice, turba sumus.
Ille meos, voto qui me sibi iunxit, amores
Exigit; ille sua hîc iura tuetur Amor.
Ille potens, dominusq́; tui, iam sæpè subactum
Te superimpositis calcat Amor *pedibus:*
Ille arcum, pharetramq́; tuam, tua tela, fidemq́;,
Teq́; triumphatum victor & vltor habet.
Cede Deo prostrate puer; dominoq́; loquente,
Verba caue, grauiùs ne premat, vlla loqui.

SAN-

SANCTI SPIRITVS AVRAE DIVINAE, VILITATIS HVMANÆ TVRPITVDINEM E NATIVIS SORDIBVS IN AMABILEM ET CÆLO PAREM PVLCHRITVDINEM EDVCENTIS.

Nescitis quia templum Dei estis,& Spiritus Dei habitat in vobis? 1. *Cor.* 3.



Spiritus intus alit. ———

Qui magnum priùs editurus orbem

Imma-

Immanes super ambulabat vndas;
Nunc intra tenuem mouetur vndam,
Paruum SPIRITVS *editurus orbem.*
O quàm te memorem pusille munde!
O mundo potior pusille magno!
Sub plantis iacet ambulantis ille,
Et nutu tremit imperantis omni;
Tu totum cohibes, tuumq; stringis,
Tu pronum tibi SPIRITVM *tueris.*
Ergo, quà licet, & videre, magne
Sis mundus mihi munde, parue cælum es.

IN-

INCOMPOSITAE DIVINITATIS

V N I V I N C V L O,

C AE L I D E L I C I O,

T E R R AE D E S I D E R I O,

O M N I V M

A N I M AE A T Q V E V I T AE

S P I R I T V I

S A N C T O, V I V I D O, V I T A L I;

C V I V S V N I V S

A V R A S V A V I S S I M A

T O T V M E C C L E S I AE C O R P V S

S A N C T I F I C A T V R

E T R E G I T V R,

AMORI DECORIQVE NOSTRO EMBLEMATICVM HVNC AMOREM, SED IN TENVI, SACRVM SISTO.

DA veniam: per TE *liceat communia nobis*
Fata verecundo carmine prima loqui.
Res misera est mortalis homo: sed originis huius
Dedecus ingenij sustulit aura tui.
Quidquid habet pulchri, debet Tibi; quòd miser, olim
Quòd fuit infelix, imputat ille sibi.
Lux ierat, lux prima meis, sed & vltima rebus,
Lux ierat; profugum nox subit atra diem.
Quàm fuit illa leuis, tàm nox grauis vna fuisset,
Aura nisi huc facilem summa tulisset opem.
Prima parum faustis decocta caloribus vnda
Senserat humana conditionis opus;
Nec minùs illa tamen patrio quondam edita cælo
Cælestes fuerat iussa tenere domos:
Nox vetuit retinere diu. Prolapsa repentè
Decidit in gremium sordida terra tuum.
Clara quidem primò, lapsisq; simillima flammis,
Quas agit è cælo ventus & aura suo;

Sed

Sed modò fax, mera spuma, & roris gutta coacti
Visa fuit vacuo fixa iacere solo.
Huc agedum, mortalis, habes primordia vitæ;
Fallor, habes merita semina prima necis.
Illa tamen summum (quis credere possit?) Amorem,
In sese illa Deum fax rapuisse potest.
Viderat hanc cælo; placuit fax agnita cælo;
Et simul, Afflatus induat illa meos,
Dixit: & ecce sacro qui maximus ardet in igne,
Fit tenui spirans tramite paruus Amor.
Labitur in terras; terris fax vda iacebat.
Illa ego, si memini, fax similisve fui.
Fax ego prima fui; sed postquam Spiritus *ille,*
Ille animam infudit Spiritus *æthercam,*
Atque suum super infudit propensus Amorem,
Æmula fax cælo facta Deoq; fui.
Scilicet hanc Amor *æternus, Deus ipse, Deiq;*
Sanctus Amor, *castis natus ab illecebris*
Spiritus intus alit, *tenuesq; infusa per artus*
Ignea mortales induit aura sinus.
Quin etiam ne quid tanto fors desit Amori,
Ipse sibi cælum condidit inde nouum.
Gutta fui, nunc bulla; fui malè prodita gutta,
Gutta peregrino fortè reperta solo;
Nunc cælum, domus æterni nunc dicor Amoris.
Digna vtinam tanto dicar Amore *domus!*

Si linguis hominum loquar, & Angelorum, Charitatem autem non habeam, factus sum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA I.



— *Animus ſi deſit, inutile murmur Ars quoque ſumma dabit.* —

Sententia Emblematis 1.

Docta res Amor eſt. Amoris expers,
Quamuis arte valens, valere neſcit;
Valens ingenio, valere neſcit;
Valens eloquio, valere neſcit.

Amor

Amor ſpiritus eſt amantis vnus;
Artis, eloquij ingenîque vita
Et cuſtos Amor eſt. Cares Amore?
Nequidquàm grauis omnibus laboras.

Eſſe quidem hominis animum velut quoddam organum, rectè compoſitum ad amœnitatem omnem concentumque virtutum; nihil tamen aut læti aut boni obtineri ab eo poſſe, dum Amoris vnius vitâ & inſpiratione caruerit.

ILla quidem digitis pulchrè diſcurrit acutis,
Et ſalit ad numeros ingenioſa manus;
Oraque diductis referans concordia labris,
Poſcit ab arguto carmina pauca libro:
Nulla ſed à toto redduntur carmina libro,
Nec ſonat ad numeros ingenioſa manus.
Murmur iners reſonat, crudele, inamabile murmur,
Murmur aberrantis triſte laboris opus.
Mitiùs horrendis gemit icta ſecuribus ilex,
Vltima cùm moriens vulnera truncus habet.
Ictibus alternis reſonat numeroſiùs incus,
Cùm tener à valido ducitur igne chalybs.
Plena magis grato reſpondent horrea plauſu
Ruſtica, cùm volucres ſentit ariſta ſudes,
Dextera ſuppoſitis quàm ludat eburnea plectris,
Organaque ad numeros non ſatis apta ſonent.
Credideram, fidei ſed ſpes fuit irrita noſtræ,
Seraque deficiens vota fefellit amor;

Credideram certè, modulis plaudentibus ipsos
Attonitis similes iam fore iamque polos.
Credideram tacitæ rumpenda silentia noctis,
Et nemora auritis pendula cum foliis
Coniunctura sacris sua vota precesque camœnis;
Coniunctura suos saxa vel ipsa choros.
Sed malè credideram: strepitu docuere maligno
Organa deliciis exanimata suis,
Et nemora & colles, motique volumina cæli
Ad malè concordes muta silere modos.
Sæpè quidem sensi digitis percussa tenellis
Carmina sidereis æqua dedisse choris.
Et fuit, vt lentas ducens Philomela querelas
Gauderet siluis posse carere suis;
Et vacuas intrare domos, vbi plumbea passim
Intus dispositis stat seges ordinibus.
Sæpiùs hîc totos visa est cantare Decembres,
Temporaque in rigidos ducere verna lares.
Sæpiùs hîc promens, iterumque subinde resorbens
Flexanimas teneri gutturis illecebras,
Luce alacris, & nocte vigil Philomela mouebat
Organa; vox illis semper amantis erat.
Quin etiam resonare tubas, strepituque suaui
Dixisses tremulas ludere fontis aquas;
Et teneris agitare melos geniale lapillis,
Quale fides sonitu deficiente canit.
Sæpè, sed ô meminisse piget, quæ gaudia sensi
Ad desiderium non reditura meum.
Hoc vnum tamen, hoc (si quid licet) organa saltem
Dicite, quæ tanti causa sit illa mali.

Dicite,

Dicite, quis vanis defeſſa laboribus error
Vos etiam patulo non ſinat ore loqui.
Spiritus vnus abeſt, Amor atque anima vna canentûm,
Vna laborantûm vita fidelis abeſt.
Ille iubet, quæ dulce priùs percuſſa ſonabant
Organa nunc mœſtâ flebile voce queri,
Et dare tinnitum, qualem dare rauca ſub ictu
Æra, vel impulſu cymbala fracta ſolent.
Hoc pretium artis erit, patulo ſi proditus ore
Iuerit in ventos ingenioſus Amor?
Et quemquam labor iſte iuuet? Conſtanter amare
Si piget, ingrati mitte laboris opus.
Ah dolor eſt digitis nil proficientibus vti!
Ingenui pretium vile laboris habent.
Adſit Amor, ſonituque labor mulcebitur ipſos
Et dignum Superis carmen amantis erit.

Si habuero Prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam; . . . . . . Charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA II.



—— *Pretium omne refertur in vnum.*

Amoris pretium mei requiris?
Bonorum pretium rogas meorum?
Non multis opus est, Amor vel vnus
Bonis omnibus addit omne pondus.
Rebus eximiis, Deoque dignis,

Vnus

Vnus desit Amor; nihil valebunt:
Rebus exiguis, nihilque dignis,
Vnus adsit Amor; Deum valebunt.

Absente Amore, non nisi merum nihil esse omne id quod studio, quantumuis assiduo, consequi, & sibi in ordinem redigere humana mens potest.

IPsa sibi innumeros propè iam subduxerat orbes
  Facta per ingenium mens opulenta suum.
Orbis erant terræ; terrarum nouerat orbem,
  Et propè iam poterat scire quid esset humus.
Orbis erant cæli; cælorum nouerat orbem:
  Ad seriem alterius iunctus hic orbis erat,
Et suus orbis erat Lunæ; suus orbis, at ille
  Maior erat Soli: notus vterque fuit.
Sidera quot, tot erant cæli septemplicis orbes:
  Ordine quisque suo cognitus orbis erat.
Denique quidquid habet veri natura bonique
  Addiderat rebus mens studiosa suis.
Quin etiam quadro, quod adhuc non fecimus, orbem
  Visa subinde sibi est constituisse situ.
Ipse adeò Deus, immensò licet amplior orbe,
  Additus inuentis orbibus orbis erat.
Quis modò tantarum numeret si nomina rerum,
  Signaque tam docti supputet ingenij,
Ipse sibi non dicat? In hac sapientia mente,
  Quanta etiam in toto non fuit orbe, sedet.
Intereà tamen vnus apex, tot ab orbibus vnus,
  Vnicus, exiguus, & propè nullus apex,

Vnus apex aberat; quis non sibi vendicet istum?
Vnus apex; nimiùm sed pretiosus apex!
Vnus apex aberat; sine quo nihil illa valebant
Omnia: tam non est ille pusillus apex.
Quid valet in numeris, longo licet ordine ducta
Littera, quam summam scribere Græcus amat?
Quid valet ô? licet æternum quoque denotet æuum,
Signet & immensum plena potensque Deum:
Quid valet ô? valet ad lacrymas, miserumque relictæ
Ad desiderium mentis onusque valet.
O Amor! ô animi pretium resque vnica nostri!
O Amor! ô longi causa doloris Amor!
Tu pretium es, tu summus apex; sine nomine, & illo
Numine, sunt vacuum nil nisi cuncta nihil.
Nosse Deum nihil est, nisi nosse inducat Amorem.
Cælum nosse nihil, nî comitetur Amor.
Nosse quid immensum fiet fiatque per orbem,
Quid fuerit, merus est cassus Amore labor.
Cassus Amore dolor merus est, quodcumq; fidelis
Ingenio potuit mens animare suo.
Cùm volet ad summam, qui primum nescit Amorem,
Singula, quæ didicit, quis reuocare suam;
Inueniet nihil esse, nihil nisi signa doloris
Omnia, quæ primus sola reliquit Amor.
Paruula res Amor est, res obuia, linea tantùm
Vnica, & exiguæ conditionis apex:
Res simplex, facilisque capi, facilisque doceri,
Et quouis statui res satis apta loco;

Quamque,

Quamque, etiam qui non didicit, describere nouit:
Scribitur indicio nam satis ipsa suo.
Res Amor est sincera, via est rectissima, nullas
Ire per ambages circuitusque solet:
Simplicitate suâ gaudet: tamen vnicus ille
Principio rerum nî statuatur Amor,
Vnus Amor si desit, erit fortasse quod optes,
Quod doleas; sed erit quod mereare nihil.
O noctes malè consumptas! ô cara dierum
Tempora, sed studiis perdita sæpè suis!
Per quæ nulla meis adiecta est linea rebus,
Additus ad summam non fuit vllus Amor!
Desit Amor, nihil est, licet esse videbitur amplum:
Adsit, & esse nihil res pretiosa potest.

Si habuero omnem Fidem, ... Charitatem autem non habuero, nihil ſum.
1. Corinth. 13.

EMBLEMA III.



— *Sine Amore Fides nil proficit.* —

Fruſtrà tenditur arcus, incitato
Fruſtrà tenſa Fides laborat arcu;
Si non vlla ſuper tibi ſagitta eſt,
Quâ cælum ferias, Deumque vincas.
Arcus eſt Animus, Fideſque neruus,
Telum rectus Amor. Fidem remitte,
Vel ſummum iaculator adde telum.

Fruſtrà

Frustrà nos intento per Fidem animo collineare in Deum, si, quem emittamus in illum, Amore vnico caremus.

TErra quidem tenet in medio me pendula cælo;
Terra tamen votis non facit ista meis.
Est aliud quod amo: sed amo sine viribus vllis:
Est quod adacta manu non patiente Fides,
Quod manus intento constanter denotat arcu,
Quod meus adductis cornibus arcus amat.
O patria, ô Diuûm domus ardua, & ignea magnorum
Atria cælorum, ô meta scopusque meus!
Intentis ego vos oculis, vos lumine fixo,
Vos animo, vos & luctibus & lacrymis
Prosequor, hinc sed adempta procul: vos exsul & absens,
Nec minùs intentâ stans superansque Fide,
Nequidquam procul adspicio. O si fortè relicta
Hîc foret ad nutus vna sagitta meos!
Illa Fide, illa meo promissa fideliter arcu
Tenderet in patrios nuntia fida lares.
Illa vel hinc nostrum cælo transferret Amorem,
Illa vices animi posset habere mei.
Illa subire vices transmissi posset Amoris,
Quem mea nunc toto non habet orbe Fides.
Arcus iners, deserta fides, oculique manusque,
Hæc mea sunt; animis non tamen apta meis,
Dum nullus comitatur Amor, qui fulminis instar
Astra tenere Fide deproperante queat.

Tenſa licet, ſine Amore tamen nil profuit vmquam,
Nec leuis erepto iuuit Amore Fides.
Arcus agat; ſine Amore tamen nil proficit arcus:
Amiſſo nihil hic ſolus Amore poteſt.
Obtutus ſine Amore nihil præſtare fidelis,
Nil telo potuit deficiente manus.
O Anime! ô quonam vſque tuo viduatus Amore
Degeneri perges aſtra tenere Fide?
Incertumque Deum, rapidique volumina cæli
Nil iaculante voles figere certa manu?
Nulla Deum niſi amica fides cælúmve tenebit:
Vt teneat, fixum vulneret illa Deum:
Vulneret, emiſſo quem non capit arcus Amore:
Ipſe Deus tali gaudet Amore capi.

Si

Si habuero omnem Fidem ita vt montes transferam; Charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA IV.



——*Anima nisi viuat, Amantis*
Vota nequit proferre Fides.——

Qui Fidem faciat placere cælo,
Qui Fidem faciat placere terræ,
Vnus est Amor. vnus Eloquentem

Viuen-

Viuentemque facit; facit disertam
Fidem solus Amor. Fides Amore
Non adiuta tacebit; aut loquentem
Nec cælum satis audiet, nec orbis.

Fidem concentu Amoris excitatam omnia valere, hoc verò destitutam nihil posse.

SIs licet Amphion, licet ipso doctior Orpheo
Threïciam digitis sollicitare Fidem:
Si tamen hæc animâ socij non viuat Amoris,
Si nullus vocem iungat amantis Amor;
Verba (sed heu!) Superis non intellecta loquetur,
Nec nisi tinnitus causa dolentis erit.
Dicitur Orpheo; (si vera est fabula) neruos,
Dicitur Orpheam silua secuta fidem;
Dicunturque leues saliisse ad carmina montes,
Atque alio pondus deposuisse suum
Quàm dederat natura loco: commota feruntur
Marmora natiuos deserüisse lares;
Deserüisse domos patriæ telluris amicas,
Artificique simul iuncta stetisse situ.
Tanta fides citharæ! citharam sed amantis alebat
Eurydices vnam vox comitata fidem.
Huius amore Fides veluti magis aucta sonabat;
Hoc sine visa fides dicere, Non faciam.
Occiderat presso serpente tenerrima coniux;
Orpheus ereptâ coniuge solus erat:
Vox aberat, quam prima fides audire canentem,
Quam solet ad numeros prima vocare suos.

Quid faciat? miseros quo conſoletur amores,
Quò viduos tandem cogat abire metus?
An citharam roget atque fidem? Silet illa, dolenſque
Immemor officij cogitur eſſe ſui.
Hanc tamen aggreditur, digitiſque errantibus vrget
Non benè ſeruantem ſigna notata fidem.
Iuſſa fides reſonat: ſed non velut antè ſolebat,
Imperium pauidis cùm daret illa feris.
Iuſſa fides reſonat: ſed iam neq; ſaxa ſequuntur,
Nec iuga ſubiectis prona feruntur agris.
Diſplicet ipſe ſibi; nec adhuc intelligit Orpheus,
Quòd citharæ ſolus deſit amantis Amor.
Deſerit ecce fidem, citharamq; relinquit inertem,
Et vacuum erepti damnat Amoris opus.
Solus adit profugas, quas ſæpè vocauerat, vndas;
Negligit errantem ſurda ſed vnda fidem.
Solus adit gelidum quem ſæpè citauerat Hæmum,
Stat grauis, & vacuam deſpicit ille fidem.
Tunc didicit quòd Amore Fides viduata careret,
Quòd nihil amiſſo poſſet Amore Fides.
Ergo adit infernos, tenebroſa cubilia, manes,
Et petit, vt raptus reſtituatur Amor.
Ad ſonitum reſpondit Amor, citharæq; precantis
Inſultantem erebo iuſſit adeſſe Fidem.
Impetrat ecce Fides quidquid rogat; imperat Orco,
Imperat adiuncto fortis Amore Fides.
Tanti Amor ille fuit. Mutato nomine tandem
Proferat occultam fabula verſa Fidem.

Orpheus

Orpheus es quisquis comitante fidelis Amore
  Vota etiam Superis imperiosa canis:
Qui montes qui saxa Fide procedere cogis,
  Cogis anhelantes sistere fontis aquas.
Donec erit tibi iunctus Amor, dominabere cælo;
  Subditaque imperio terra canentis erit.
Si fuerit proscriptus Amor, damnabere cælo;
  Imperioque tuo terra rebellis erit.
Vana Fides sine Amore. animâ nisi viuat Amantis,
  Nulla Deo poterit vota probare Fides.

Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, ... Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.
1. Corinth. 13.

EMBLEMA V.



Frustrà, promissus cælo si deficit Ignis.

Totum pauperibus dedisse possum;
Sed possum quoque perdidisse totum,
Totum si dedero carens Amore.

Res

Res eſt vtilis, ingenîque plena,
Mira res Amor eſt. Amore fotum
Munus ad dominum redire nouit;
Amoris vacuum redire neſcit.

Sterilem & infructuoſam eſſe liberalitatem hominis Amore deſtitutam; hunc ergo ſollicitè curandum ei, qui ſua nolit omnia perdidiſſe.

ILle quidem toto quæ cara recondidit anno,
Proſpiciens inopi munera ſpargit humo:
Sed fruſtrà tamen, æthereus ſi deficit ardor,
Promiſſoque, ſui prodigus, igne caret.
Dona quidē tellus habet indiga; nulla ſed inde
Vtilitas domini dona ferentis erit.
Nobile propoſitum eſt inopi dare pignus amico,
Pauperiem ille ſuam quo tolerare queat.
At ſi caſtus Amor donantem & dona reliquit,
Munera ſunt dominis emoritura ſuis;
Munera ad auctorē cum fœnore nulla redibunt.
Si qua calore carent ſemina, meſſe carent.
Si quod Amore caret, res eſt temeraria, munus;
Munus Amore ſuo quod calet, eximium eſt.
Vidi ego nuper agrum generoſo ſole calentem
Semina vix ſummo ſparſa tuliſſe ſinu,
Et ſimul incœpiſſe, velut ſentiret Amorem,
Agricolæ teneras fundere veris opes.
Hoc puto pignus erat venturæ denique meſſis:
Nec vacuum cælo iudice pignus erat.
Vix benè tranſierat ſpatiis properantibus æſtas,
Prima alibi necdum ſtabat adulta ſeges;

Hîc

Hîc vbi prima ſeges ſteterat, ſeges altera creuit;
Altera eodem iterùm ceſpite nata ſeges.
Vtile nil quod Amore caret: quod amatur, opimum eſt.
Munera ſollicitus nulla fefellit Amor.
Parca quidem ſteriliſque ſuo natura dolore eſt;
Eſſe tamen ſocio pinguis Amore poteſt.
Arida & infecunda tibi ſint omnia; fient
Omnia larga, pius ſi comitetur Amor.
Quiſquis Amore dabit, perdet nihil. Additus ignis
Cogit in auctorem dona redire ſuum.
Turpis auarities multos tenet? addat Amorem
Quiſquis auaritiem quærit habere bonam.
Donet amans, & habebit amans quod habebit amicus:
Non pereunt quæ ſic abiiciuntur opes.
Victus Amore Dei natum dedit ille ſuorum
Notus ab antiquâ relligione ſenex.
Victus Amore dedit? meliorē ab Amore recepit:
Germen in hoc quantæ poſteritatis erat!
Vnus erat datus; ex vno ſed quanta parenti
Reddita natorum turba ſubinde fuit!
Audiit inde Abraham largo fecundus Amore,
Qui fuerat modicæ conditionis Abram:
Audiit, impleuitque ſuis ſua nomina natis.
Tam pretioſa viro nomina fecit Amor.
Mortalem dedit, æternum pro ſorte recepit;
Proque homine eſt homini redditus ipſe Deus.
Non benè ſeruatur, nullo quod Amore tenetur:
Perditur, amiſſo quidquid Amore datur.
Si ſapis, indulge generoſo pronus Amori:
Et dare quæ cupiès munera, poſtet Amor.

Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA VI.



——— *Frustrà consumitur, vno*
Quisquis Amore caret. ———

Nequidquam Fidei probator ignis
Ardentes populabitur medullas,
Quas non pascit Amor. Carens Amore,
(Hoc summi pretium doloris vnum est)
Cum flammis pereuntibus peribit.
Sic se perdere numquid est beatum ?

Patienti

Patienti ſine Amore miſerum eſſe quoduis & inutile tormentum.

QVò mihi vita graues perpeſſa fideliter ignes,
Seu natura tuos, ſiue tyranne tuos,
Si meus exhauſto me torreat ardor Amore,
Et vacuo ſterilem cogat Amore mori?
Succus Amor meus eſt. Sine Amore ferociter ardet,
Ardoriſque ſui damna peremptus habet,
Qui ſimilis arſiſſe poteſt candentibus aſtris,
Et pretium ardoris grande tuliſſe ſui.
Vidi ego peſtifero propè qui moriturus ab igne
Irriguas vitam duceret inter aquas:
Sæpè fuit peritura oleo fugiente lucerna,
Viua ſed illa oleo mox redeunte fuit.
Vos æterni ignes, primiſque caloribus orta
Sidera, vos fratres, vos comiteſque mei,
Conſpicuæ cælorum animæ, quid agatis, amabò,
Dicite: certè ingens vos modò paſcit Amor,
Immenſus vos paſcit Amor; quòd in ignibus iſtis
Tanta ſibi conſtans vita ſaluſque fuit.
Nunc ego dira quidem patior tormenta tyranni,
Et feror in vacuum corpus inane rogum,
Et morior: ſed Amore tamen ſuccoque carenti
Quid prodeſſe mihi perdita vita poteſt?
O ego, ſi, ſummus cùm me tulit ignis, amaſſem!
Vltima ſi patiens fata tuliſſet Amor!
Dulcis Amor! ſecurus Amor, qui ſanguine fuſo
Diſpenſat placidæ funera parca necis!

Arſiſ-

Arsissem, arderemque etiam nunc lætus in igne,
Aethereoque nouum sidus in orbe forem,
Sidus inoffensæ solamen amabile noctis,
Dulce decus vitæ deliciumque meæ.
Nunc sed Amore meo rapuit me flamma carentem,
Paruaque sum primo factus ab igne cinis.
Hoc superest, superesse cui vita ignea cælo,
Et potuit soli proxima vita Deo.
Hoc superest. Nostro mortales discite casu,
Quid sit Amore rogum non comitante pati.
Discite, & hoc cineri breue carmen scribite nostro:
(Fortè erit hinc etiam qui sapuisse velit.)
Viuus eram, sed Amore carens: ardere tyrannus
Imperat; ardoris præmia nullus habet.
Flamma mihi vitam, vitam sed amore carentem
Cùm rapuit, vitam perdidit atque animam.
Si pateris, fac amanter agas: vitamque tuam vis
Tollat, Amor vitam restituisse potest.

Chari-

Charitas patiens est. 1. Corinth. 13.

Ad amantium concordiam.

EMBLEMA VII.



— *Patientia mater amantum est.*

Quid, ô deliciose, delicate,
Ictus ferre times, Amoris ictus?
Non his frangitur ille, sed ligatur,
Non dissoluitur, at redintegratur;
Iungunt vulnera cara diffidentes;
Et vnum poteris timere punctum?

Amicitiam veram nec rixis nec vulneribus mutuis dissolui posse, sed per hæc eam potius, conciliante patientia, redintegrari.

DIssidiis gemini si conciliantur amantes,
Quis tener ille pati qui nihil vsque potest?
Cauta parum si verba tuus tibi dixit amicus,
Flent oculi, vultus deficit, ora tremunt.
Sed magè debueras, quod Amor suadebat amāti,
Quidquid erat vultu dissimulante pati.
Debueras etiam aduersis non cedere verbis,
Non ipsis etiam cedere verberibus;
Vulneribus gaudere tuis, & morte vel ipsâ
Debueras: Leges has tibi scribit Amor.
Intereà nil ferre potes; tamen vsque videri
Et pius & patiens vis,& amantis amans.
Desine ferre mei generosum nomen Amoris;
Non satis ingenio conuenit ille tuo.
Optat Amor gaudetque pati; persæpè dolore
E geminis factus dicitur vnus Amor.
Felices in Amore animæ! quis diuidet vmquam,
Si vos ipsa etiam vulnera conciliant;
Si facit vnanimes patientia? non grauis vllo
Vos malè concordes sentiet hora die.
Concordes vos hora etiam suprema videbit;
Nec nisi cum socio coget Amore mori.
Vidi ego de vario segmenta informia panno
Singula pascendis vix satis apta rogis,
Vulneribus quandoque tamen collecta decoris,
Insolitum domino conciliasse decus.

Antè

Antè acus immiti quàm pungeret intima ferro,
  Sordibus eductus nuper aceruus erat;
Nunc benè iunctarum ſeries pulcherrima rerum
  Iactat Apelleum non minor arte decus,
Nunc Phrygium mentitur opus. Sine vulnere nullus
  Creſcit Amor, nullus ſurgit amantis honor.
Diſce pati,& pulchro patientia iunget Amori,
  Quem patiens caſto læſit Amore dolor.
Vnica magnorum patiëntia mater Amorum eſt:
  Qui caret hac, nulli filius eſſe poteſt.

Charitas patiens est. 1.Cor. 13.

Ad amantium vſum & ornatum.

EMBLEMA VIII.



——— *Facit patientia pulchrum*
Dilectumque magis. ———

Qui carus cupit eſſe, vulneretur;
Crebro vulnere ſæpè vulneretur.
Non eſt integer ille, nec decorus,
Qui nullum patiens ſubiuit ictum.
Vulnus nobile, nobilis cicatrix
Quam ſuſcepit Amor, ſuamque fecit.
Res eſt integra Amore vulnerari.

Amici-

Amicitiæ vsum aut cultum esse nullum, nisi decora illam patientia commendarit.

MVlta diuque tuli, nec adhuc patientia victa est.
Vulneror; at plagis reddor amica meis.
Scilicet inde nouum sumo mihi læsa decorem,
Vnde alius læsi damna decoris habet:
Vnde graues oculos, inamœnaque contrahit ora,
Inde ego iucundo pulchrior ore feror.
Lædimur, & lætum non dissimulamus Amorem.
Militat ingenio vulnus & ira meo.
Te quoq; ferre iuuet. Tanti est patienter amare:
Principibus tanti est posse placere viris.
Rusticus induitur non fissâ veste Menalcas.
Post mea me laceram vulnera Cæsar habet.
Aula mihi domus est. qui nil tulit exulet aulâ.
Vestit inurbanos integra vitta pedes.
Aspicis vt lætis pateant discrimina villis:
Vix oculi risum dissimulare queunt.
Vulnera sunt oculi, sunt ora rubentia plagæ:
Hæc aberant mihi dum vulnera, tristis eram.
Nescit amans pretium, nisi si patienter amarit.
Vilis & improbus est impatientis Amor.
Absit acu vt coëat mea conciliante cicatrix,
Aut pereant medicâ vulnera facta manu.
Ferre quidem cupio; sed, si dolor ille medendo
Tollitur, erepto sana dolore querar.
Ferre iuuat; sed vt ipsa etiam ne vulnera desint.
Vulnera præ votis sunt mihi cara meis.

Diſce pati exemplo: ſic nos Amor vnus habebit;
Et ſocius ſimili iunget Amore dolor.
Immeritas vt amans patiar ſine crimine pœnas?
Pœna quidem; meriti ſed patientis erit.
Vulnus ego vt patiar ſine vindice? Vindicet ipſe
Qui ſibi de tali vulnere plaudit Amor.
Non arma expediam? Patientia non habet arma:
Ferre Amor arma poteſt; ſtringere neſcit Amor.
Vt moriar? Sed Amore. ſuis non excidit annis
Fata ſubire pio quiſquis Amore poteſt.
Vincimur. experiare meos patientia mores:
Dulce pati fuerit, quod patietur Amor.

Charitas patiens est. 1. Corinth. 13.

Ad amantium fructum atque delicias.

EMBLEMA IX.



Grata minus, nisi læsa foret. ———

Amoris placet indolem videre?
Amoris patientis & quieti
Suauem placet indolem videre?
Sentit vulnera, nec mouetur illis;
Gaudet posse pati, suique vindex
Pensat mille bonis malum vel vnum,
Vnum mille malis bonum rependit.

Declaratur Prosopopœia putatæ vitis, patientissimi Amoris proprium esse delicata munera pro crudis etiam vulneribus redhibere.

INgenium quicumque mei non nouit Amoris,
Me videat: viso hoc vulnere doctus erit.
Vitis ego ad primos frondebam libera soles;
Lubricus in cælum luxuriabat apex:
Notus apex volucri, seu nox seu lapsus ab alto
Linquere stagnantes cogeret imber agros.
O quoties, medio cùm sol micat igneus orbe,
Hîc Philomela meis condita sub foliis,
Innocuisque sub insidiis, & amantibus vltrò
Deficiens veluti languida sub latebris,
Visa suauè queri est ; quòd me non semper amasset,
Nec foret ante meos ausa subire lares.
Talis eram speciosa, virens, & odora, sereni
Delicium cæli deliciumque soli:
Talis eram, memini, nec me meminisse pigebit;
Sim licet ad summos nunc propè nuda pedes:
Talis eram, durus cùm venit ab vrbe colonus:
Scirpea erant olli vincula,& ensis erat:
Paruulus ille quidem, sed aduncus,acutus,& ipsâ
Quæ patienda forent vulnera fronte gerens.
Extimui,primusque meos pauor impulit artus,
Vt matutinis aura tremit Zephyris,
Cùm nemora & frondes crispataq; leniter vnda
Viuida non dubij signa timoris habent.

Inter-

Intercà ferus ille, meus tamen ille colonus,
Ille tamen nostro dignus Amore dolor,
Vincula disponit,falcem expedit; hinc secat, atque inde
Amputat ille manus, amputat ille pedes:
Vellicat auriculas, capitisque comantis honorem
Stirpitus euulsis frondibus exspoliat.
Corporis ille etiam, trunci licet, intima nudat;
Vixque aliquo patitur membra decore tegi.
Denique, vt afflictæ desit nihil, addit acerba
Vincula, captiuam stringit vtrâque manu.
Scire cupis quid ego tantis exercita damnis,
Quid fuerim in summis questa subinde malis?
Vox mea erant lacrymę, lacrymæ fluxere per ora:
Offensi lacrymæ sanguis Amoris erant:
Donec & hoc nostri solamen inutile luctus
Eripuit plagis indita cera meis,
Et vetuit plorare meos, mea funera, natos;
O nimiùm lacrymis inuida cera meis!
Cera meas lacrymas vetuit stillare; coëgit
Solam me lacrymas combibere illa meas.
Hinc ego nuda, meisque manens tantùm obsita damnis
Inter alumnorum vulnera tristis ago;
Et morior iam pænè meo consumpta dolore:
Et morerer, si non viuida Amore forem.
Sentit Amor, pariterq; dolor mea vulnera sentit,
Sed meliùs tamen hæc vulnera sentit Amor.
Hactenus exhibui seriem patientis Amoris:
Nunc age, disce meus quid meditetur Amor,
Quid struat. Autumnus cùm venerit, ille docebit,
Et patiens quid agat tunc puto dicet Amor.

Namq; vbi nuda patent subductis frondibus ora,
Vulnera vbi, & dolor est, fructus Amoris erit;
Brachiaque appensis flectentur amantia botris:
Vulneribus meus hæc dona reseruat Amor.
Munera amant alij; sed vulnera sæpè reponunt:
Non ego sic; sed amo vulnera. Tu quid amas?
Accipe, namque potes, quid sit patienter amare:
Hoc ego, nuda licet sim tibi visa, dedi.

Chari-

Charitas benigna est. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA X.



——— *Suo se totum promit Amori.*

Sis tenax licet vſque, ſis auarus,
Clauſo pectore, corde colligato;
Liberalis eris, patensque cunctis,
Si te tangat Amor, foreſque pulſet,
Quantumuis adamantibus rigentes.
Neſcit quid ſit Amor, benignitati
Qui clauſum potuit tenere pectus.

Necesse esse, vt benignus ac liberalis in omnes fiat is quem igne suo ac lumine munifico Amor afflauerit: Amoris sanè benignissimam in quosuis ac liberalissimam indolem signis etiam à naturâ pluribus manifestari.

NOcte sub angustis latuit qui flosculus vmbris,
Manè iterùm plenos diuidit ecce sinus,
Exspiransque animæ tenerum fragrantis odorem,
Spargit inexhaustas vndique veris opes:
Sentit auis,tantoque canens applaudit Amori,
Carminaque hospitio reddit amica suo.
Vnde odor hic? & odor vacuos meritoq; carentes
Proditus in ventos tam pretiosus odor?
Ingenium quis tale Deus tibi floscule fecit,
Vt cupias animæ prodigus esse tuæ?
Nil cupias vt habere tuum; sed amantibus ipsos
Exposuisse oculos, explicuisse sinus?
Nempe aurora suum tibi nota reuexit Amorem,
Solis odoriferas reddidit illa faces.
Illa animans & Amoris amans te fecit amantem:
Vult Amor hic animæ prodigus esse tuæ.
Floscule sic age,semper ama, solisque sub ortum
Sentiat effusas cultor auarus opes;
Sentiat,& facilem per te quoq; doctus Amorem,
Largior exemplo iam velit esse tuo.
Certè etiam pia thura tuos imitantur Amores,
Cùm dederit faciles flamma benigna faces.

Thura

Thura vel in flammas vel odoros prodita fumos
Posse homini cupiunt, posse placere Deo:
Cùm fuerint consumpta, suo lætantur Amori,
In pretium acceptæ se periisse facis.
Prodiga fecit Amor, sacris Amor ignibus ortus:
Ille Deo, Superis ille probatus Amor.
O Amor! ô quàm largus Amor! quàm sæpè benignus
Omnibus indicio proderis esse tuo!
Munera contractum celant quandoque dolorem,
Quem meus in medio pectoris hostis habet:
Verbera munificum persæpè loquuntur Amorem,
Quem meus in medio cordis amicus habet.
Quid refugis mea dicta, etiam natura loquetur:
Non solet hæc nullâ vendere verba Fide.
Quis sit Amor, dicet Nux pinea, Spica probabit;
Vtraque iudicio digna fauente legi.
Ictibus hæc largum testata loquetur Amorem;
Illa calore gerens ora soluta canet:
Nux ego, sublimi genuit quam vertice pinus,
Pinus amœna homini, pinus amica Deo.
Diues adhuc & operta domi mea dona tenebam;
Omnia erant rigido pignora clausa sinu.
Sæpè puer dixit: Quid pondus inutile porto,
Nequidquam placitas quod mihi claudit opes?
Sæpè manu, digitis persæpè procacibus vrsit,
Dente subinde meum fodit & vngue latus.
Blanditijs quandoque fores tentauit amicis;
Et sic pænè meas iussit hiare fores.
Sustinui tamen, & precibus immota minisque,
Visa fui puero dicere: Non faciam.

Non facies? i, quære alium Nux dura clientem,
Non ſatis ingenuas digna grauare manus.
Dixit, & abiecit quò me tulit impetus iræ.
Mens fuerat totis pellere me laribus;
Sed cineres focus oppoſuit mihi fortè calentes,
Ille meos vetuit longiùs ire metus.
Ignem vbi perſenſi (quis enim non ſentiat ignem?)
Meque ſuis blandè perculit illecebris
Viuida quæ cineres animabat flamma recentes;
Tunc ego, tunc primis ignibus, impatiens
Suſtinuiſſe noui tormentum lene doloris,
Explicui patulas denique laxa fores.
Tunc ego, quas teneræ dederat mihi prouida mater,
Quaſque mihi dederat iam moritura ſeni
Delicias, & opes, in Amorem tota profudi;
Factaque ſum donis ingenioſa meis.
Lignea maſſa fui, nunc ſum roſa; pondere duro
Antè grauis fueram, ſum modò facta leuis.
Ignis opes ſubiectus habet: ſine lege profuſas
(Ignis Amor meus eſt) ſuſcipit ignis opes.
Hactenus explicitis quà Nux patet edita labris,
Munificum largi dixit Amoris opus.
Spica ſubalterno ſed iam quoque prodiga pulſu
Non vacuo ſolidum carmen Amore canet.
Certatim ad numeros illam ferit ecce colonus;
Illa ſed ad numeros munera prompta refert:
Et ſimul ad numeros placidè reſpondet eoſdem,
Et ſonitu, veri qui ſit Amoris, ait:
Gaudet amans; ego non doleo. Sentire dolorem
Iacturámve ſuam non ſolet vllus amans.


Cùm

Cùm dedit, amissis opulentum denique rebus
Se putat, & solo quærit Amore frui.
Nil sibi seruat amans, in amantem cuncta profundit,
Vitæ pænè suæ prodigus atque sui.
O mihi si talem Deus addat & indat Amorem,
Quàm mihi pauperies tunc opulenta foret!
Nil ego tunc, sed Amor meus omnia solus haberet.
Fallor, vterque datas tunc retineret opes.

Chari-

Charitas non æmulatur. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA XI.



——— *Decus non inuidet hoſti.*

Si tuo decus inuidens Amori
Corriualis amas, amare neſcis.
Amor hoſtibus æmulus nec ipſis,
Ipſis hoſtibus inuidere neſcit.

Blanda

Blanda vis Amor eſt. Amor proteruis,
Vel tunc cùm iaculatur,& minatur,
Se ſolum cupit hoſtibus dediſſe,
Se totum cupit hoſtibus dediſſe.

Verum cæleſtemque Amorem omnia ſua & optima quaque non ipſis etiam aduerſariis inuidere.

ESſe quid hoc dicam,quòd tam mihi clara videntur
Nubila, tam pulchro nubila plena die?
Non aliàs tali micuerunt ſidera vultu,
Nec matutinâ roſcidus è nebulâ
Tam rutilis vmquam reſplenduit ignibus æther,
Cynthia ſiue tuis, ſiue cometa tuis.
Sæpè ego te vidi ſpecioſo Lucifer ore
Spargentem nitidas templa per alta faces;
Sed iam, ſole licet medio, tamen illa videntur
Vincere pænè tuum nubila fulua decus.
Quin etiam pleno Sol formoſiſſimus orbe
His modò conſpectis nubibus erubuit:
Aequaleſque velut ſibi ſurgere crederet ignes,
Pænè loco viſus cedere velle ſuo eſt.
Credimus? an fatuũ decepti explodimus ignem?
Credamus: vero nubila Sole micant.
Vidi ego terribiles in Solem inſurgere nubes,
Immemores quali conditione forent;
Immemores ab aquis quòd eas Sol ipſe profundis
Alta ſuper earum templa tuliſſet onus.
Vidi,&adhuc memini referẽs,velut agmine facto,
Cùm cuperent ipſi bella mouere patri:

Cùm

Cùm cuperent Solemque ſuum cælumque ſimul vi
Cingere,ſubque vnum ducere capta iugum,
Sol bonus arriſit: & quid propenſus in hoſtem
Pulchrius aut melius reddere poſſet Amor?
Sol bonus arriſit; ſeque ipſe oblitus, iniqua
Nubila ſidereum iuſſit habere decus.
Illa diem rapuere; diem Sol detulit illis.
Vlciſci ſua ſic vulnera nouit Amor.
Ingratis ſeruire nefas non æſtimat ille:
Obſequio ille ſuo ſedulus, inuidiam
Armatamque animi rabiem componere gaudet.
Legibus his domini iura tuetur Amor.
Currum alius tenero ſolarem adſignet amori;
Idalias illi deſtinet alter aues;
Alter anhelantes humeris det ouantibus alas,
Et pharetram & pharetræ tela det ampla ſuæ:
Non ego ſic, ego vana odi deliria vatum,
Qui quod agunt, numquam non petulanter agunt.
Sol mihi verus Amor: habeat Sol nomen Amoris,
Qui ſolidi verum numen Amoris habet.
Atque vtinam, noſtri ſaltem in ſolatia mundi,
Orbis Amor parui Sol nouus eſſe velit!

Chari-

Charitas non agit perperàm. 1.Cor.13.

EMBLEMA XII.



Viis agit omnia rectis.

Nequidquam per iniqua, per ſiniſtra
Qui curuum ſequitur, fugitque, rectum
Amorem vagus aſſequi laborat.
Rectum nouit Amor tenere ſolus,
Solum nouit Amor tenere rectum.

Obli-

Obliquùm videt ille, claudicatque:
Et claudos Amor educat clientes,
Claudo qui potuit parente duci.

Quemadmodum proprium est amoris improbi per incerta vagari, sic casti Amoris esse, recta semper & iusta sectari.

QVidquid agant venti, quantumuis fluctuet aër,
Auraque inæquales horreat ad Zephyros;
Lux immota tamen, radiisque exercita rectis,
Quidquid agit, iusto tramite semper agit.
Aspicis vt nitidi spatium glaciale metalli
Intret inoffensâ lux peregrina face;
Atque iterùm inde focum reflexa feratur in vnum,
Nec tamen à rectâ deuiet illa viâ?
Hac iter est recti qui deuia nescit Amoris:
Hac Amor ipse suum flectere nouit iter.
Si dubitet, si, obliqua sequens vestigia, pergat
Ludere dissimili curua per antra face;
Nullus Amor fluet inde mihi, nec amabilis ignis
Conspicuum radio pinget amante focum.
Non Amor hic, vacui sed iners erit ardor amoris:
Non Amor; incerti splendor amoris erit.
Nescit Amor nisi recta sequi; rectumq; sequendo,
Quos agit, ambiguo non finit ire pede:
Antè viam plumbo spatiis non diuidet æquis,
Pendulaque admensum perdet amussis iter,
Regulaque abnormem delira sequetur amussim,
Quàm pius à recto præcipitetur Amor.

Si quis

Si quis amor varios labyrinthum implectit in orbes,
Si quis amor dubium flectit euntis iter;
Hunc fuge caste puer: quamuis Ariadna sequentem
Altera te filo ducat agatque suo,
Heu fuge caste puer: non est amor ille fidelis,
Ille amor incerti monstra furoris habet.
Minotaurus inest; procul est Amor omnis: Amoris
Simplicitas dubio non solet ire pede.
Ebrius est petulansque viâ qui pergit iniquâ,
Ambiguo titubans qui pede currit amor.
Non illum æternâ Sol magnus ab Iride pendens
Edidit immensi grande caloris opus;
Sed, liceat meminisse, pigro Vulcanus in antro
Matris Acidaliæ sustulit è gremio
Deuia sectantem claudo pede: matris in illo
Si qua reperta fuit gratia, manca fuit.
Hic puer ille, sacri qui nomine gaudet Amoris,
Omina sed miseri dira doloris habet.
Hic amor ille, suos qui cùm seduxit amantes,
Se dubio tandem proripit inde pede,
Destituitque viæ in medio. Fidenter amare
Quisquis amas, rectum carpe Viator iter.
Et quod ages, age simpliciter sine fraudibus vllis:
Fraude dolor, nullus fraude tenetur Amor.

Chari-

Charitas non inflatur. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA XIII.



—*Tumet impurus, sincerus in æquo est.*

Aequo ſimplicitas Amore gaudet;
Amor ſimplicitate gaudet æquâ:
Si quis turget, & impotens teneri
Metas præterit inſolenter omnes,
Amor ſordidus eſt, & impudicus;
Si dignus tamen eſt amor vocari,
Qui furor merus eſt amore tectus.

Suſpectum

Suſpectum eſſe turpitudinis omne quod tumet; caſti Amoris integritatem non aliunde magis quàm ſui ipſius demiſſione probari.

SI qua vel exiguum fermenti paſſa farina eſt,
Grandior admoto protinus igne tumet:
Caſta manens,ſimilis ſemper ſibi,ſemper in ęquo,
Nulla parum ſolidi ſigna tumoris habet.
Deliciis fauet illa nouis, fauet altera ſacris;
Hæc meliùs,quamquam blandiùs illa ſapit.
Quantus agit ſubito, quantoque tumore ſuperbus
Vnius in campo noctis alumnus agit!
Grande caput calui mentitur verticis annos,
Et vacuo caſtæ frontis honore tumet;
Nil tamen eſt ſaturæ niſi germen inutile terræ,
Cruda quod è pleno ventre profudit humus.
Vidi ego ſuffuſo turgentem ſanguine plagam;
Plaga manu tantùm obducta medentis erat.
Vidi ego , vidi ab aquâ diſtentũ intercute vultum:
Plaga ſuperba, tumens vndique vultus erat;
Sanus erat cute demiſsâ contractior alter,
Et nullo turgens ſanguine, ſanus erat.
Si qua ſolo tumet in viridi,ſaturata veneno eſt;
Sin tenera eſt,nulli ſubdita rana malo eſt.
Denique peſtifero ſi quis conſumitur igni,
Quanta parum caſti ſigna tumoris habet!
Sic agitur. Suſpectus Amor qui turget habetur:
Integer in planâ ſede recumbit Amor.
Aſpice quàm tumido muſtum variabile faſtu
Impatiens primæ conditionis agat.

Non

Non capit ampla domus calefacti sanguinis æstum;
Ingentes animos non capit ampla domus.
Pone modum, frustrà est: metam præscribe tumori,
Adde etiam indomito vincula, transiliet
Vincula fracta; modumque omnem finemque recusans,
Pænè procelloso par volet ire mari.
Nempe recèns positum nec adhuc sine crimine mustum,
Natiuis tumidum fæcibus erigitur,
Seque ipsum cupit ire super. Totum impleat orbem,
Orbe tumens toto non capietur Amor.
Non ita dulce merum. Viden' vt sub paupere tecto,
Aedibus angustis exiguoque lare,
Simplicitate suâ gaudens consistat, & arctam
Ferre domum, tenuem possit habere modum?
Olim turpe fuit; sed iam sine crimine purum est.
Hinc puto consumptis sordibus abiicitur,
Seque infra cupit ire merum. Minimum occupet orbem,
Orbe merus minimo sat capietur Amor.
Odit Amor tumidos: inflatum ferre tumorem
Non vmquam purus conspicietur Amor.
Castus Amor plano gaudet, planoque recumbit;
Integer à plano surgere nescit Amor.

Charitas

Charitas non est ambitiosa. 1.Cor.13.

EMBLEMA XIV.



——— *Genus non respicit.*

Non est ambitiosus, aut superbus,
Quamuis sanguine nobilis superbo
Censeatur Amor, fugit superbos;
Maiestate caret; tumere nescit;
Quantumuis humiles, amat colitque.
Non est vile quod antefertur auro.

Quòd humilibus delectetur & afficiatur Amor sanctus, non vilitatis esse illud, sed generosæ indolis argumentum.


NOn ego nobilium dicar studiosus amorum,
Sim licet antiquæ nobilitatis Amor:
Non genus aut proaui, vel quæ non nouimus ipsi,
Ad votum faciunt nomina magna meum.
Non ego delector titulis, non diuitis auri
Aut color aut sonitus me recreare potest:
Ferrum amo, sit quamuis tinctum rubigine, ferrum
Ambio, & in ferri sede quietus ago.
Hoc ego me viduosque polo consolor Amores;
Huic seruire meus gaudet & optat Amor.
Nec quisquam mihi dicat: Amas quod amabile non est:
Vile minùs, minùs est turpe quod alter amat.
Turpe nihil quod amare iuuat. Nil vile putandum est,
Quod dignum pretio credit amantis Amor.
Si quis ab ingenio nasci hæc seruiliter orto,
Si quis ab ignauâ conditione putet;
Nouerit & paleas Adamantem ambire fugaces,
Non aliâ sciat hunc ambitione capi:
Nec paruum tamen hic (testes appello coronas)
Ingenuæ pretium nobilitatis habet.
Nobilis est, cæloque Adamas cognatus, & astris
Splendorem illustri conditione gerit:
Nobilis est, nomenq; trahens Adamantis auitum,
Ex Adamante rei est factus inertis Amans.

Et

Et nos Magnetis magnum nomenque decusque
Inde etiam à patrio ducimus vsque polo;
Cælestesque animos cognataque nouimus astra,
Fortè etiam in gyros ducimus illa suos:
Ducimus, & ferro tamen indulgemus Amorem,
Quo cupiat cælum quo polus ipse rapi.
Non est, crede mihi, numeret licet ipse propinquos,
Sideraque & cælos, ambitiosus Amor.
Arduus est; tamen est facilis descensus Amoris:
Altus; amare humiles sed tamen optat Amor.
Quærite summa, loco qui tantùm fiditis alto:
Nil mihi cum summo est; me magis ima iuuant.
Alta petant votis alij, nos odimus alta.
Tutus in abiectâ sede moratur Amor.
Vos vnum precor astra, rogent vos plura superbi,
Vnum ego: deliciis astra fauete meis;
Atque nouum date ferro animum, vt patiatur amari.
En salit, en saltu signa secunda dedit:
En cupit à nostris iam nunc pendere lacertis.
O satis hoc, paruum sit licet, hoc satis est!

Charitas non quærit quæ sua sunt.
1.Corinth.13.

EMBLEMA XV.



——— *Accipit, vt meliora reponat.*

Optat multa; nihil sibi reseruat:
Non ambit sua lucra, sed suorum
Amor prodigus omnium, suique,
Vt carus queat omnibus videri.
Quisquis munera copiosa quærit,
Discat spernere, discat abdicare,
Et sic discat amare, possidebit.

Quòd

Quod habendi auidus sit Amor, non aliunde fieri, quàm vt amicis omnia largiatur.


QVisquis amicus ades, da munera, dona profunde:
Munera muneribus obrue, quisquis ades.
Illa meus (vacuo quid non capiatur Amore?)
Illa meus gremio condet amantis Amor:
Ille sinu pleno, plenis feret ille lacertis,
Omnia quæ cornu diuite fundet amans.
Numquid auarities mea te iam pænè coëgit
Credere me vili conditione satum?
Qui, veluti solet augustas mendicus ad ædes,
Dona rogem patulâ suscipienda manu?
Dona precor: tamen è vili me stirpe negabo
Pauperis abiectâ conditione satum.
Dona precor; sed vt illa tibi meliora reponam.
Non aliena sibi non sua quærit Amor.
Nil vt Amor sibi seruet, Amor sibi cuncta requirit:
Vtque alij accipiant omnia, vult sua sint.
Hinc auidus pleno se pandit & explicat ore;
Hinc animo hinc oculis orbis vterq; parum est:
Hinc cuperet maiora etiam quàm prendere possit,
Hinc ipsum à cælis vellet habere Deum;
Nempe vt vtrumque suis orbem transfundat amicis,
Atque ipsum his possit conciliare Deum.
Ecce sinu quidquid, tot iam labentibus annis,
Comminuit pronis machina versa rotis;

Quidquid vtroque premens sub pondere iussit
auitam
Antiquæ Cereris depos uisse togam,
Cuncta meos prudens dominus transfudit in vsus:
Facta sed illa vsu sunt meliora meo.
Quin etiam, absque meo quòd non sperasset
Amore,
Plus pretij inde sibi plusque nitoris habent.
Vtere Amore, labore meo: tuaque omnia prudens
Crede mihi; non te fallet iniquus Amor.
Omnia restituam; nec restituisse pigebit,
Dum tuus his vti denique possit Amor.
Non ego quæ mea sunt, non quæ tua quærere
noui;
Hoc tantùm noui quærere, vt hæc tua sint.
Si tua sint, lætabor. Amans quas possidet vnus,
Has etiam, & meliùs, possidet alter opes.

Chari-

Charitas non irritatur. 1. Cor. 13.

EMBLEMA XVI.



Tentanti respondet amicè.

Amor si meus vngue vellicetur,
Irritatus, Amo, tibi reponet:
Verbis verberibusque prouocetur
Amor, semper, Amo, tibi reponet.
Amor non meliùs, benigniusque,
Quàm, cùm ferre coëgeris, loquetur.
Amorem probat hostis innocentem;
Hostem blandus Amor probat nocentem.

Amoris ad fidelem concordiam rectè compositi esse, etiam irritatum non nisi suauissimè respondere.

ILla fides nimiùm rigido quæ carpitur vngue,
Ad numeros animi conciliata fides:
Illa manu tentata fides digitoque procaci
Scire cupis quid agat læsa? Dolenter amat.
Fallor; amat, nec amando dolet; non verbera sentit,
Non probra, non sentit vulnera casta fides.
Increpat ille, sed illa canit; ferit ille, sed illa
Compositos tacitè murmurat ad numeros:
Et, quamquam irritata, tamen respondet amicè
Semper, & esse pio grata dolore potest.
Nuper ego (& meminisse iuuat quæ vidimus ipsi)
Nuper eram externas iussus adire plagas;
Hospitioque breui (nox prona coëgerat illuc)
Sistere sollicitum multa timentis iter.
Este salutati, primùm venientibus hospes
Dixit, & extructum duxit ad vsque focum:
Mox citharam, thalamo quæ muta iacebat amico,
Corripit; exanimes intremuere fides:
Et gemitu comitante sonum describere visæ
Austerum domini corripientis opus.
Inde manus ambæ, digitique vnguesq; parantur,
Iam (cithara ô miseræ væ tibi) iamque ferit:
Vellicat, irritat, digitis persæpè coactis,
Sæpè manu trepidas carpit & vngue fides:
Illa nihil contrà; nisi quòd velit esse locutus,
Cùm pius ad Superos vota profundit Amor.

Illa

Illa gemit: gemitu ſed nil puto blandius illo
Dulciloquæ in ſiluis concinuiſtis aues.
Illa canit: ſed amantis erant pariterque dolentis
Verba per attonitas quæ ſonuere manus.
Verba quidem ſonitum non intellecta dederunt,
(Nam citharæ,vt fontis murmur,amantis erat)
Sæpè tamen,niſi fallor,Amo,vox fracta canebat;
Sæpè refracta iterùm vox referebat,Amo.
Non dolor eſt, ſed Amor, quòd amans perferre iubetur;
Nec,niſi quòd nequeat plura tuliſſe, dolet.
Hæc viſa eſt dixiſſe chelys: voluitque videri
Non alias cari pectoris eſſe preces.
Ipſa (fatebor enim) mihi viſcera mota fuere;
Vix potui & lacrymas ipſe tenere meas.
Nunc ſcio, dicebam, quid ſit patienter amare;
Quid ſit Amor chelys hæc me docuiſſe potes.
Aequus Amor factis non irritatur iniquis:
Mitia verberibus verba rependit Amor.
Quin etiam, ſi vulneribus moriatur ab ipſis,
Vltima Amoris erit vox morientis, Amo.
Vnde Amor hic citharæ? concordia fecit Amorem;
Hunc ſincera dedit, continuitque fides.
O ego quàm cupiam; ſimili quò tangar Amore,
Intus in hac citharâ cor latuiſſe meum!


Amoris ad fidelem concordiam rectè compositi esse, etiam irritatum non nisi suauissimè respondere.

Illa fides nimiùm rigido quæ carpitur vngue,
Ad numeros animi conciliata fides:
Illa manu tentata fides digitoque procaci
Scire cupis quid agat læsa? Dolenter amat.
Fallor; amat, nec amando dolet; non verbera sentit,
Non probra, non sentit vulnera casta fides.
Increpat ille; sed illa canit; ferit ille, sed illa
Compositos tacitè murmurat ad numeros:
Et, quamquam irritata, tamen respondet amicè
Semper, & esse pio grata dolore potest.
Nuper ego (& meminisse iuuat quæ vidimus ipsi)
Nuper eram externas iussus adire plagas;
Hospitioque breui (nox prona coëgerat illuc)
Sistere sollicitum multa timentis iter.
Este salutati, primùm venientibus hospes
Dixit, & extructum duxit ad vsque focum:
Mox citharam, thalamo quæ muta iacebat amico,
Corripit; exanimes intremuere fides:
Et gemitu comitante sonum describere visæ
Austerum domini corripientis opus.
Inde manus ambæ, digitique vnguesq; parantur,
Iam (cithara ô miseræ væ tibi) iamque ferit:
Vellicat, irritat, digitis persæpè coactis,
Sæpè manu trepidas carpit & vngue fides:
Illa nihil contrà; nisi quòd velit esse locutus,
Cùm pius ad Superos vota profundit Amor.

Illa gemit: gemitu sed nil puto blandius illo
  Dulciloquæ in siluis concinuistis aues.
Illa canit: sed amantis erant paritérque dolentis
  Verba per attonitas quæ sonuere manus.
Verba quidem sonitum non intellecta dederunt,
  (Nam citharæ,vt fontis murmur,amantis erat)
Sæpè tamen,nisi fallor,Amo,vox fracta canebat;
  Sæpè refracta iterùm vox referebat,Amo.
Non dolor est, sed Amor, quòd amans perferre iubetur;
  Nec,nisi quòd nequeat plura tulisse, dolet.
Hæc visa est dixisse chelys: voluitque videri
  Non alias cari pectoris esse preces.
Ipsa (fatebor enim) mihi viscera mota fuere;
  Vix potui & lacrymas ipse tenere meas.
Nunc scio, dicebam, quid sit patienter amare;
  Quid sit Amor chelys hæc me docuisse potes.
Aequus Amor factis non irritatur iniquis:
  Mitia verberibus verba rependit Amor.
Quin etiam, si vulneribus moriatur ab ipsis,
  Vltima Amoris erit vox morientis, Amo.
Vnde Amor hic citharæ? concordia fecit Amorem;
  Hunc sincera dedit, continuitque fides.
O ego quàm cupiam, simili quò tangar Amore,
  Intus in hac citharâ cor latuisse meum!

Charitas non cogitat malum. 1. Cor. 13.

EMBLEMA XVII.



—— Non habet vmbras
Rectus Amor. ——

Hinc ô lucifugæ tenebriones,
Noctis progenies, & horridarum
Vmbrarum miserabiles parentes,
Vmbrarum miserabiles amores:

Hic

Hic recto locus est sacratus igni;
Hic recto sacer est dies Amori.
Nullas rectus Amor tuetur vmbras;
Nullis rectus Amor tenetur vmbris.

Vmbras quærere & cogitare amorem malè agentem; castum verò ac rectum nullas vmquam habere vmbras semper optima cogitantem.

SEcreti saltus, tacitum nemus, horrida silua,
Silua tenebrosis clausa latens foliis,
Vmbrarum domus, æterno domus inuia soli,
Parcite, vos rectus non habitabit Amor:
Ille quidem fessus cuperet iam fortè sub vmbrâ
Gratum onus hîc medio deposuisse die:
Fors arcum, & sua tela simul pharetramq; solutam
Vellet in hoc placidè iuncta videre solo:
Fors super ipse sedens ad fontis amabile murmur,
A somno requiem sumeret exiguo;
Sed tamen est, tenerum est aliquid quod terret amorem,
Quod requiem hoc illi non sinit esse loco.
Rura placent, placet vnda fluens, nec displicet aura,
Aura recèns tepidis quæ venit à Zephyris.
Cuncta sed vt placeant, satis est quòd displicet vmbra;
Vmbra vel in tantis non placet vna bonis.
Has sibi quærat amor, si quis mala cogitat, vmbras;
Hîc patulis recubet languidus in foliis,

Donec deficiens ad euntis murmura riui,
Sub trepidis pauidè somniet arboribus,
Quæque videre nefas fingat sibi. Non meus illa
Nouit Amor, nullum cogitat ille malum:
Nec nisi cælestis medio sub lumine solis
Otia sinceri casta soporis amat.
Vos eritis testes, quæ conspexistis euntem,
Lumina conspicuum digna videre diem.
Et tu testis eris medio sol maxime cælo:
(Testem animi tantum conuenit esse Deum:)
Testis eris mea lux, & Amor meus; vmbra vel vno
Quòd non vlla fuit me comitata die.
Fessus eram: hîc vbi sol recto micat arduus igne,
Et tantùm summi verticis alta videt;
Hîc ego me, mea tela, arcum pharetramq; locaui;
Nulla tamen plenum sustulit vmbra diem.
Omnia lucis erant, & lucis amabilis: illam,
Qui mala vel secum cogitat, odit amor.
Non ego sic: ego ab igne pio correptus amabam;
Nec mihi vel tenuis vmbra doloris erat.
Nescius vmbrarum est simplex Amor: ardet in vmbris
Qui loca terrarum deuia quærit amor.
Ergo meo hîc liceat, quæ nemo negabit, Amori
Carmina mansuris scribere pauca notis:
Regula neruus erit, calamus scribentis arundo;
In pharetrâ votum scribet amica manus.
Rectus Amor cælo est: stet Amor quoque rectus in orbe:
Vmbra mali rectis nulla duobus erit.

Charitas

Charitas non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati.

1. Corinth. 13.

EMBLEMA XVIII.



——— *Iuſtis lætatur, iniquis*
Officiis afflicta dolet. ———

Amorem quid inique lacrymantem
Solari cupis, & leuare verbis?
Huc factis opus eſt piis boniſque.
Non lætatur Amor dolens iniquis;
Non triſtatur Amor ſerenus æquis.

Amorem sanctum solis peccatis affligi, & solis virtutibus delectari.

SI benè compositis sua per discrimina neruis,
Cor tibi parque lyræ par citharæq; foret:
Si benè concordem tibi cor resonaret Amorem,
Nec dubiâ talem diceret esse fide;
Quanta tibi, ad numeros quoties colluderet æquos,
Cultor amicitiæ, gaudia quanta forent!
Quamq; tener sensus velut auersantis iniquum,
A numeris quoties vellet abire, foret!
Officium citharæ præstat manus? emicat illa,
Testaturque alacri gaudia plena fide.
Officium citharæ fallit manus? ingemit illa,
Signaque solliciti plena doloris habet.
Iustitiam quòd ames, amat, & tibi plaudit amanti;
Iustitiâ cupias quòd caruisse, dolet.
Sic agit æquus Amor: fatis si pressus iniquis
Perfidiæ testem quis velit esse Deum;
Ille dolet damnatque sacræ periuria linguæ,
Et veluti offensam sentiat, ille dolet.
Arma fremunt alij, damnataq; bella frequentant?
Proiicite ô socij tela, precatur Amor:
Et, desideriis intercurrentibus, arma
Vulneribus cuperet mersa tenere suis.
Si nil vota iuuant, gemitu consumptus acerbo,
Quàm sibi displiceant illa, fatetur Amor.
Denique nulla vsquam fiunt mala, quin sua credat:
Absit vt admissis gaudeat ille malis.


Sin.

Sin videat ſua ſtare Deo, falſumque peroſis
  Iuſtitiam certi numinis eſſe loco,
Virtutemque coli paſſim à mortalibus vnam,
  Gaudet Amor, feſtâ voce triumphat Amor:
Lætitiamque velut cælo tranſſcribere vellet,
  Gaudia magnifico fundit amœna ſinu.
Linea furtiuas ſemper vigil indicat horas;
  Quâ ſtet parte polus ſedula monſtrat acus;
Ferrea mutatis famulantur apluſtria ventis:
  Quod ſit opus certâ fronte docebit Amor.
Rectum opus eſt, ſi ridet Amor; ſi plorat, iniquum eſt.
Quis det, Amor ſemper ſit mihi Democritus?

Chari-

Charitas omnia suffert. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA XIX.



——— *Graue*
Nihil est Amanti. ———

Hîc tu quidquid habes molestiarum
Iam depone; nihil tibi ferendum est:
Amor cui graue nil potest videri,

Amor

Amor te cupit ipse subleuare.
Seruum ne tamen hinc putes Amorem;
Vel seruum fateare, cuius omnis
A tribus digitis leuatur orbis.

Multa quidem & grauia accidere in vitâ mortalibus; vnius tamen Amoris afflatu leuissima reddi illa omnia.

FRigida si fuerit, grauis est maris vnda ferenti;
Quilibet impositas ferre recusat aquas.
Imbre iacent flores; volucris fit inutilis imbre,
Fit matutino languida rore seges.
Quid quòd & ipsa licet rostro sublatá superbo
Prora superpositis mersa prematur aquis.
Vidimus expansis vectam per inania pennis
Aëris ire super summa ferentis auem:
Quippe aberat grauis vnda: simul grauis vnda coacta est,
Pronior & rigidæ decidit imber aquæ,
Lapsa simul cælo est miserabile pondus aperto,
Quæque leuare solet pluma, subegit auem.
Vsque adeò grauis est, donec riget, vnda ferenti:
Si caleat, fiet protinus illa leuis.
Aspicis vt tenues (quid non tenuetur Amore?)
Sursum etiam ad solem conglomerentur aquæ?
Vnda grauis fuerat: non est grauis vnda calori.
Est leue, vel leue fit, si quod amatur onus.
Lux leuis est, leuis ipse calor: leue surgit in altum
Lux cui, cui calor est additus vnus Amor.

Nec

Nec tamen eſt Amor ipſe leuis ; ſed pondus amanti eſt:
  Quo ſine res illi non erit vlla leuis.
Tu mihi teſtis eris ſuſpenſa examine libra;
  Iuſtitiæ teſtis, teſtis Amoris eris.
Lanx grauis eſt quæcumque leuem facit altera lancem;
  Tolle onus hoc, fiet protinus illa grauis:
Ipſum onus eſſe aliud cogit leue. Pondus Amoris
  Res grauis eſt; ſed Amor rem facit eſſe leuem.
Forſitan hinc cælo cùm decidit ille ſoluto
  Imber, onus mundi qui pereuntis erat,
Forſitan hinc, quia iuſtus Amor ſibi ſtruxerat arcam,
  Arca ſuperfuſas tuta ferebat aquas.
Certè Amor eſt qui cuncta poteſt ſufferre; nec vllis
  Cognitus eſt vmquam ſuccubuiſſe malis.
Mors graue pondus habet; ſed Amor ſi iungitur illi,
  Nullum mortis onus lene prementis erit.
Mors hominem cælo ipſa ſuo tranſſcribit amantem:
  I nunc, ferre aliquid poſſe negetur Amor.

Chari-

Charitas omnia credit. 1. Corinth. 13.

EMBLEMA XX.



——— *Amanti*
Viua Fides semper, numerisque fidelibus apta est.

Ni semper moueas, & adlabores,
Fidem difficile est habere viuam:
Sed Fidem tamen, vt nihil labores,
Amanti facile est habere viuam.
Fidem sentit amans. Fides amantis,
Et secum velut audiat loquentem,
Concordem ad numeros Fidem reponit.
Fidem quæris Amore destitutam?
Rem quæris domino laboriosam.

Amanti

Amanti non esse difficilem Fidem rerum licet absentium & abditarum; imò ipsius etiam Dei, quamquam ab humanâ mente longissimè segregati.

VNus Amor tanti est, quòd amans audire fidelis,
Quodque Deo & cælo credulus esse potest.
Ecce fidem citharæ chelys altera sentit amantis;
Sentit, eam simili prosequiturque fide.
Omnia credit amans. Concordia iungat amantes,
Et sua concordes iunget vtrosque Fides.
Certè etiam (exemplis liceat mihi vilibus vti)
Credulus est humili quisquis amore calet.
Hic licet absentem procul ablegarit amicum,
Præsentem tamen hunc nec procul esse putat.
O quoties, faciente fidem citharâve lyrâve,
Auribus hæc canimus, dixit, amice tuis!
O quoties illum sibi respondere putauit,
Inque oculis oculos fixit amantis amans!
Verbaque conceptis dedit internuntia verbis,
Voce subinde vnâ visus vtrimque loqui!
Et tamen ille aberat, nec adhuc sentire valebat,
Quòd citus absentem nosse volebat Amor.
Bella gerebat amans? bellantem atque arma ferentem
Se simul in campo credidit alter amans.
Sæpè fides victo se victam adiunxit amico,
Victorem victrix sæpè secuta fuit.

Qualis

Qualis amicus erat,talem se finxit amico;
Non alium à socio quem propè fecit Amor.
Cetera quid memorem, profugi quòd amantis ad vmbram
Sæpiùs ante fores denique fleuit amans;
Nominibusque suum permiscens nomen amicis,
Vnanimi cecinit se sociumque fide?
Officium faciebat Amor. Sentitque,videtque,
Alloquiturque,procul sit licet,ipsa Fides,
Absentem procul alloquitur; si sit tamen absens,
Credere præsentem quem sibi cogit Amor.
Non est, crede mihi, quod ames citò credere, non est
Difficile. Vnanimi viuit Amore Fides.
Cælum in deliciis tibi sit; licet exsul,habebis
Quod tuus in cælo credere possit Amor.
Ipse Deus tibi sit castis in Amoribus; ipsi
Iam tua non dubio credet Amore Fides.
Ille quidem procul ex oculis mortalibus iuit,
Quoque latere putes non latet ipse loco;
Ille etiam nostri quamquam tenet intima cordis,
Corde tamen nostro totus abesse potest,
Et superas habitare domos,vbi plurimus illum
Splendor inaccessæ lucis & vmbra tegunt.
Quis modus vt videas? quis vt adspiciaris ab illo?
Visaque non dubiâ stent tibi certa Fide?
Mente Deum spectent alij; tu corde videre,
Credere corde Deum fidus amante potes.
Omnia credit Amor: & nos credamus Amori.
Nulla sibi verus somnia fingit Amor.

Charitas

Charitas omnia ſperat. 1. Cor. 13.

EMBLEMA XXI.



——— *Spes viuida ſemper amanti eſt.*

In cælum properemus: illa meta eſt,
Tot deſideriis petita meta;
Curarum ſcopus, & beata meta eſt.
Ingens hinc iter eſt, inane magnum eſt,

Quod

Quod terram iacet inter atque cælum?
Quod cælum propè non finit videri?
Speranti via longa; longa non est
Amanti via. Spes Amorque cælum,
Si sursum moueantur, obtinebunt.

Quantumuis ab exsulibus nobis remota sint cæli gaudia, non esse tamen illa amantibus desperanda.

SI licet in dominum seruis patientibus ipsum
  Pauca queri, in Dominum pauca Deumque querar.
Os homini sublime datum, cælumque tueri
  Iussus,& erectâ sidera fronte sequi.
Hactenus est aliquid: sed cur quod amare iubemur,
  Cur quod in his oculis condere tam procul est?
Ipsa quidem tellus medio iacet infima mundo,
  In summâ cælum sed regione sedet.
Terra peregrinis colitur mortalibus vna,
  Cognatæ cælos incoluere animæ;
Heu frustrà cognatæ animæ! discrimine tanto
  Quas rapit ex oculis ventus & aura meis.
Has sperare tamen, certè spectare iubemur;
  Sed raptæ miseris vt videantur opes.
Vt simul excrucient queîs non conceditur vti,
  Sintque oculi dominis vltima pœna suis.
Bruta carent cælis animalia; bruta sed illas
  Auersis oculis non speculantur opes.
Bruta nihil sperant; sed nec spectare iubentur,
  Vnde grauis miseris concilietur Amor.

A

At iam parce Deus nimiùm mihi multa querenti,
Consilium fuerat non nisi pauca queri;
Materies ampli sed enim numerosa doloris
Protulit in longas verba soluta preces.
Non queror vlteriùs, tua sunt hæc iussa; ferendum est
Quidquid onus nostræ conditionis habet.
Vnica Spes superest; Spes desperata sed illa est,
Quam meus abiecto quærit Amore dolor:
Nec sinat ipse Deus, nisi quod sit amantibus aptum,
Consilium in tantis arripuisse malis.
Spes volucrem in cælos; Spem nempe sed excitat illam
Plumea suppositis ala ferenda Notis:
Spes hominem in cælos; sed Spem quoque concitat illam
Astra vel ipsa super tendere doctus Amor.
Omnia sperat Amor; procul absint omnia: sperat
Omnia; & huc flammâ Spem properante rapit.
Ecce licet tanto distet cælum interuallo,
Huc tamen igne suo mota sagitta volat;
Et semper propior propiorque inuadere tentat,
Quò Spes igne suo viuida fertur, opes.
Nil desperandū flammâ duce, & auspice flammâ:
Spes socio numquam segnis Amore cadit.

Chari-

Charitas omnia ſuſtinet. 1.Cor.13.

EMBLEMA XXII.



——— *Hilari fert omnia vultu.*

Si quis impatiens ſui doloris,
Iocoſum quoque ſuſtinere verbum
Quantumuis ab amantibus recuſat,
Non eſt dignus amore. Ridet ipſa
Inter verbera lætus, & ſuperſtes
In ſe gaudet Amor, Deoque teſte
Tot plauſus numerat ſibi quot ictus.

Patientiæ & doloris amantem esse Amorem verum; ideoque illum, vt pati plura possit, libenter cum miseris ac dolentibus componi.

SI quis erit, qui turpe putet perferre minãtem,
Turpe renidenti verbera fronte pati,
Ille vel ingenuum vitij damnabit Amorem,
Ipse vel hoc etiam iudice vilis erit.
Otia ducit iners ferrum, neque verbera sentit,
Dum rigidâ clausum cortice contegitur,
Ingeniumque suæ retinens inamabile matris,
Horrorem terræ multa minantis habet:
At simul æthereo factum est illustrius igne,
Verbera dura pati gaudet, amatque pati:
Quin etiam valido quoties contunditur ictu,
Clara noui toties signa decoris habet:
Quotque ictus, tot habet radios, tot spargit amores,
Lætitiamque oculis dissimulare nequit.
Igne micans ferrum fuluo speciosius auro est;
Ignibus accedant verbera, Sol merus est.
Quod fuerat modò pondus iners, Formosus habetur,
Deliciumque sui fertur amantis Amor.
Credo equidem, nec vana fides: sed enim meus ille
Quantò pulchrior est verbera passus Amor!
Pulcher Amor meus est; nec erit mihi pulchrior vllus:
Nullus Amore meo pulchrior esse potest,
Dicebam;

Dicebam; furor ecce meo cùm sæuus Amori
Impulit innocuum terque quaterque latus.
Emicuit, sparsoque nitens formosior igne,
Ipse mihi est oculos visus habere meos.
Certè oculos tulit ille meos, iterumque remittens,
Mille oculos oculis reddidit ille meis.
Vnus erat cunctis tamen acrior: ille cor ipsum
Perculit; innocuum pectora vulnus habent.
Sic oculis si fortè vides nictantibus astrum,
Pulchrius hoc tremulo scilicet igne micat;
Eximiamque subinde facem generosius in te
Dirigit; obtutum vulnerat illa tuum.
Quippe velut radiis oculisque renidet amicis,
Atque aliquod læsi numen Amoris habet.
Sol quoque pulchrior est, quoties progressus ab vndis
Cogitur impositâ frigora nube pati.
Malleus est nubes, incus mare; lætior ille
Hinc agit, & radio liberiore micat.
Cynthia non aliàs hilari magis albicat igne,
Nec magè fraterni plena decoris agit;
Quàm cùm nube subinde graui Notus horridus illam
Verberat, & Boreæ frigora ferre iubet.
Luna pati gaudet; Lunam nocturna coronant
Nubila: in his etiam læta fit illa malis.
Ingenium sacri quisquis modò nosset Amoris,
Protinus ingenio quàm patiente foret.
Gaudet Amor duris; gaudentem aduersa coronant:
Vt patiatur Amor, fit patientis Amor.
Flamma pati nescit, lento tamen addita ferro,
Et scit, & ipsa cupit verbera flamma pati.

Quis domuisse ignem, quis flammam habuisse
sub ictu,
Quis potuit captas continuisse faces?
Flamma minis illæsa manet, cæloque potita,
Ridet inexpertas in sua damna manus:
Flamma tamen ferro si concilietur amico,
Ferre minas, ictus ferre manusque potest.
Vt patiatur Amor, patientem ambitque, fouetque;
Quodque nequit, socio cum patiente potest.
Ferre nequit solus: quid enim patiantur Amantes?
Cum patiente pati plurima nouit Amor.
Scilicet illud erat, quod Amor diuinus agebat,
Cùm Deus è summo Numine factus homo est.
Ferre Deus mala nobiscum suprema volebat;
Sed mala nulla Deo, quæ pateretur, erant.
Quis modus? humanos patiens Deus induit artus:
In pueroque Deus, quod patiatur, habet.
Flet puer? ipse Deus plorat: gemit ille? gementem
Sentit, & in gemitum iam Deus ire potest.
Gaudet vterque pati, sociusque dolentis amici
Cumque Deo puer est, cum pueroque Deus.
Et dubitamus adhuc patientem dicere Amorem?
Ingenium omnis Amor, sed patientis habet.

Chari-

Charitas numquam excidit. 1.Cor.13.

EMBLEMA XXIII.



——— *Fatuus tantùm excidit ignis.*

Cœnum quiſquis amat, fugitq́ue cælum,
Qui cælo cadit, inciditq́ue cœno,
Verus hic furor eſt, Amorq́ue falſus;
Hic omnis furor eſt, Amorq́ue nullus.
Purus non cadit, at leuatur ignis.

P 3 *Fatuis,*

Fatuis, profluuis & inconstantibus Amoribus sæpè multos & miserabiliter esse delusos: fidendum ergo non esse Amori, nisi illi qui cælo stabilis non possit excidere.

ILla sub occasum cælo quæ lapsa sereno
 Sidereo fuluum tramite pingit iter,
Stella quidem solet à pueris & amœna videri;
 Stella tamen verâ non micat illa face.
Nempe aliud nihil est nisi roris gutta coacti,
 Gutta peregrinos ausa subire polos;
Vnde iterùm in terras (terras amat improbus ignis)
 Labitur: hîc fatui signa caloris habet.
Hîc viscus iacet in mediis inamabile campis,
 Quale nec in vernas rana profundit aquas.
Currite iam pueri, lapsæque applaudite flammæ;
 Propensisque illam vocibus excipite
Errantem cælo. *Verus numquam excidit ignis.*
 Labitur in patrium flamma pudenda solum.
Hîc tristes abit in fumos lacrymabilis ardor;
 Aut, si fulua potest fax superesse, nocet.
Hanc prospectat enim, & sequitur nocturnus amator;
 Et simul in tetrum ducitur ille lutum:
Quo vel mersus obit, vel agens velut alter opacas
 Tantalus ore tenus voluitur inter aquas.
Viderat hos tectis Dauid è sublimibus ignes
 Fontis ad irriguum procubuisse solum:

Viderat;

Viderat; & votis properauit amantibus illos,
  Nescius incautâ ferre referre manu:
Hinc collo tenus in cœnum prolapsus, inanes
  Quà non impediunt ora loquentis aquæ,
Clamat amans: Vbi sum? non est constantia? non est
  Infido nimiùm Spes super vlla luto?
Dum loquor, ipsam animam premit vnda loquentis; Vbi sum?
  Nullus erit dextram qui mihi, nullus erit?
Nullus anhelantem cælo qui reddat amorem?
  Nullus amore mei qui moueatur amor?
Vnus Amor misero dextram porrexit amanti,
  Castus Amor, cælo non abiturus Amor:
Non amor ille, polo lapsum qui versus in aurum,
  Inque manus dominæ decidit inque sinus;
Heu dominæ malè quæsitæ! furor improbus ille,
  Ille fuit vacuo tectus amore furor.
Excidit ille polo, fatuus cælo excidit ardor,
  Aureus illustri quamlibet igne micet.
Purus Amor cælo si quando elapsus ab alto,
  Virginis inque oculos decidit inque animum,
Non minùs hic summo constans tamen hæsit Olympo,
  Et stabili semper fixus in orbe stetit.
Stella subinde humili quæ prona relucet in vndâ,
  Fixa eadem cælo nil variante manet;
Sidera concusso tamen omnia firmamento
  In malè subiectas præcipitentur aquas.
Verus Amor cælo numquam excidet. hic mihi solus
  Sol etiam elapsis omnibus esse potest.

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. ad Rom. 5.

EMBLEMA XXIV.



— *Amans animâ ſatiatur Amantis.*

Fruſtrà blanditiis deliciiſque,
Quamuis ambroſiæque nectariſque,
Inuitatur Amans. Amantis vnam
Si non das animam, famens, ſuumque
Nil præter ſitiens Amans Amorem
Suſpirabit, hiabit, æſtuabit,
Nec gemmis ſatiabilis, nec auro.
Amantem vt ſaties, Amante paſces.

Oſcu-

Osculetur me osculo oris sui, *prima & propè vnica esse Deum amantis animæ desideria; propterea quòd satiari, nisi illius spiritu & amore, non possit.*

Mirabar quid Amans toties ab Amante rogaret;
Fige decora meis oscula fige labris.
Iam scio: languet Amans, animâ nisi viuat Amantis,
Et vacui tantùm plena doloris agit.
Oscula dant animos, animis sociantur amantes;
Vna etiam gemino vita sub ore latet.
Felices! si casta tamen sint oscula; si vos
Nullus Acidalio fumus ab igne iuuet.
Turpe quidem sine Amore mori; sed turpius illo est,
Casta veneriatis ora dedisse labris.
Turpius obscœnas animam traxisse per auras,
Quas amor impuro pestifer ore vomit:
Non illas optabat Amans, cùm ruris amœni
Inter anhelantes fessa iaceret opes,
Languentesque super recubaret languida flores;
Et tenui exspirans murmure, quod reliquum
Vocis erat, clamaret: Vbi es vegetabilis Auster?
Auster, amice meis floribus, Auster vbi es?
Auster ades, hortumque meum, meque insuper vnam
Ingenuis dignam flatibus Auster habe.
Nolo meum Boreas populetur frigidus hortum,
Visceribúsve meis turbidus insinuet

Horrentem nimbis animam & glacialibus auris.
Surge Aquilo,ad Scythicas,surge, recede plagas.
Tutiùs auersis morientur amoribus herbæ,
Et super ipsa meis floribus immoriar;
Quàm vitam vt mihi talis amor concedat amanti.
Vita placet, bona sit si tamen illa, placet:
Sin, vitam deteſtor amans, & inania malo
Corda, parum castis quàm dare corda notis.
Talia ſpirabat lacrymans, & aperta tenebat
Corda Deo; ſuperis cùm leuis aura plagis,
Aura Noto meliore ſoli loca ſubdita verrens,
Floribus æthercam viſceribuſque animam
Hanc præter nihil exſpectantibus inſpirauit.
Ceſſit io, vacuus ceſſit amore dolor.
Ecce leues ſurſum ſtant in ſublimia flores,
Ecce diem lætis frondibus excipiunt
Arrecti flores: ſed amans plus omnibus illis,
Vna tamen ſolem ſpectat amatque ſuum:
Illa Deo iam plena, ſacris & amoribus ardens,
Atque animam vitâ nobiliore gerens,
Alta petit; puncto tellus vix tangitur vno:
Alta, etiam validè ſi premis, alta petit.
Non ego iam miror, tenero quòd amabilis ore
In ſe animam poſtquam follis amantis habet,
Fiat amans ſimiliſque poli, terramque peroſus,
Incipiat cælo velle patente frui:
Sed miror, quòd Amans, animam quo captet amantis,
Non etiam in follem totus abire velit.
Multa ſubinde leues & ſtulta precantur amantes;
Seque, quod eſſe iuuet, quilibet eſſe cupit.

Certè

Certè ego ſim follis, folli modò leniter iſti
  Oſcula diuinus viuida figat Amor;
Oraque compoſitis miſcens animantia labris,
  Vnam animam geminis mentibus eſſe velit:
Tunc ego par cælo, nec iam meus; entheus ipſe
  Tunc ego, tunc fiam plenior ipſe Deo;
Tunc fiam Deus ipſe. Animâ qui viuit amantis,
  Nil animantis habens, omnia amantis habet.
Fortè erit hæc qui vota putet puerilia: nempe
  Non capit ille, ſuo quid ſit Amante capi.
Ille nec orantem ſacra per ſuſpiria vatem,
  Nec ſimili Paulum ſenſit amore loqui,
Et ſimul ingeminare: Deo ſatiabimur. ô ſi
  Ad faciem hanc faciem dirigat ille ſuam,
Et iubeat ſic eſſe deos! ſine Numine tanto
  Vtilis haud vlli Spiritus eſſe poteſt.
Solus Amor facit eſſe Deum. Deus eſſe, capaci
  Quiſquis Amore Deum concipit, ipſe poteſt.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. ad Rom. 8.

EMBLEMA XXV.



Sordibus ex ipsis formosior ardet. ——

O quem non iuuet omnibus relictis
Solum præ reliquis amare Solem,
Vnum præ reliquis amare Numen,
Illum lucis amabilis Parentem,
Patrem lucis amabilem supremæ!

Deum

Deum quiſquis amauerit, vel ipſis
E malis poterit bonus videri,
Et carus ſimul omnibus videri.
Sis malus licet ergo, ſis profanus,
Caſtum ne fugias Amoris ignem;
Malum non facit ille, ſed refingit.

A ſordibus habet bulla, quòd ad Solem conuerſa tam pulchra ſit: Animæ quoque vel ab ipſis peccatorum ſordibus in promptu eſſe pulchritudinem omnem, ſi ad Deum amicè reſpiciat.

QVæ trahit innumeros aduerſo Sole colores
Bulla parum caſto ſurgere iuſſa luto,
Pulchra minùs vel amœna foret, niſi vile fuiſſet
Materiæ in cœnum degenerantis opus:
Sordibus ex ipſis formoſior ardet, & ardens
Amiſſæ pretium ſimplicitatis habet.
Huc puer inſpira calamum quâ parte ſubacti
Concha luti ſucco deteriore madet:
Euge, quid auerſo fugis in contraria vultu?
Euge, operi accedet gratia magna tuo.
Sic age, ſtringe tuis calamum Puer auree labris;
Quamque trahis conchæ in viſcera, funde animam.
Fundit, io prodit, liquidoque ſub aëre pendens,
Arridet Soli bulla ſerena ſuo.
Prodit io, qualis de tempeſtatibus ipſis
Pulchrior obſcuris nubibus egreditur
Luna decus cæli: ſic verſicoloribus Iris
Arcubus in gyrum ducitur; æthereo

Sic capit amplexu cælum, cælumque coronans,
Plus iam pænè ſuo Sole decoris habet.
Dic age, dic mihi bulla precor; quis te mea bulla
Tanto tam ſubitò lumine conſpicuam
Extulit in cælos? vnde hæc tam clara repentè
Signa oculis oculos eripuere meos?
Hîc ego certè aliquid video formoſius ipſo,
Omnia pulchra tamen qui facit eſſe, die.
Certè ipſis aliquid video formoſius aſtris,
Pænè aliquid cælo pulchrius hîc video,
Cùm video te, bulla, noui noua Cynthia mundi
Sole nitens, puro Cynthia Sole nitens.
Aſpice vt errantes in gyrum colligat ignes,
Vt vario circùm picta colore micet:
Vt pulchrum dubiis imitetur Protea flammis,
Pulchra magis ſemper, ſemper amœna magis.
Nempe velut gemmis ludit variantibus aurum,
Aſperſuſque auri lumine fulget onyx,
Roſcidaque ardentes diſtinguit purpura nubes,
Et matutino Lucifer igne micat;
Sic micat aduerſo ter formoſiſſima Sole,
Diuinique aliquid bulla nitoris habet.
Vnde illi tantum ſubitò decus? edita cœno
In cælum ſimul eſt iuſſa ſubire ſuum,
Et Soli comes ire. Deum qui nouit amare,
Pulchrior ex ipſis ſordibus eſſe poteſt.

Quis

Quis nos separabit à Charitate? ad Rom. 8.

EMBLEMA XXVI.



Qui distrahit, constringit; & nexum facit,
Qui sic resoluit. ———— ————

Nequidquam, pedibusque dexterisque
In diuersa trahentibus, laboras
Concordem puer explicare nexum:
Vi non soluitur ille, sed ligatur.
Qui castis in Amoribus gemellos
Coniunctos magis, & magis gemellos,
Atque vnos volet esse, separabit.

Non

Non esse studiosè laborandum, vt nihil subinde amicum inter & amantem intercedat: quandoquidem ipsâ, violentâ præsertim, separatione tenaciùs illi & arctiùs alligantur.

CVm rudis, ingenuis & adhuc in Amoribus hospes,
Vix nossem quid Amor vel quid amare foret;
Sæpè nimis profugum vagus insectabar Amorem,
Dic vbi (proclamans) dic vbi, dic Amor, es?
O quoties per opaca mihi per & horrida noctis,
Hac fuit atque illâ parte petitus Amor!
Nec tamen ille (rudes falluntur Amore dolores)
Hac fuit aut illâ parte repertus Amor.
Sidera, clamabam, si vos rapuistis Amorem,
Dicite, si meus est astra secutus Amor?
Nil opus est verbis; nutus mihi sufficit vnus:
Nam satis indicio proditur ille suo.
Hei mihi, fixa meos ridebant sidera luctus;
Non ibi, vel nutu qui loqueretur, erat.
Tu mihi, tu, nec enim frustrà tam cãdida Luna es,
Dic, precor, an tibi sit visus amantis Amor?
Si quis Amor tibi visus, erit meus: illius ergô
Hîc ego, Luna, tuas conqueror ante fores.
Sed nihil illa etiam quantumuis candida dixit;
Visa animo tamen est velle fauere meo:
Terque velut prono mihi risit amabilis igne,
Risit; at (heu!) risus pœna dolentis erat.
Terra roganda mihi, nil dedignantur Amantes:
Terra, licet mihi non æqua, roganda fuit.

Terra

Terra rogata fuit; ſed & illa negauit Amorem,
Nec quidquam voluit dicere, nec potuit.
Dicetis ſiluæ (ſiluas Amor ambit opacas)
Dicetis certè vos ſilüæ, & nemora
Horrida dicetis; profugus quâ parte moretur,
Et tamen eſſe meus quærat & optet Amor.
Hei mihi! (quis credat?) ſiluæ ſiluiſtis & vmbræ;
Hei mihi! nil etiam ventus & aura dedit.
Quæque ſolent Zephyris trepidare ſonantibus herbæ,
Quæque ſolent refluis vocibus antra loqui,
Nil etiam dixere mihi. Super vna manebant
Flumina; ſunt lacrymis illa rogata meis:
Flumina, dicebam, (nam vos rapuiſtis Amorem
Sæpiùs, & mergi flumine gaudet Amor)
Dicite, num veſtris fieri fortaſſe ſub vndis
Narciſſus voluit aut hyacinthus Amor?
Certè etiam in florem fuerit ſi verſus & herbam;
Ille tamen meus eſt ille tenendus Amor.
Hæc ego, cùm nondū ſatis aptus Amoribus eſſem,
Suetus eram vacuo ſæpè dolore queri;
Præſentemque animo mihi quærere ſemper Amorem,
Præſentemque oculis ſemper habere meis.
Nunc, vbi quid ſit Amor didici prudenter amando,
Quid ſit Amore licet non comitante frui;
Non vltrà profugum ſequor importunus Amorem,
Nec queror ex oculis hunc abiiſſe meis.
Haud aliàs magis hæret Amor cōiunctus amanti,
Quàm cùm mille viis perditus, & profugus,

Et patrio velut æternùm proſcriptus ab orbe,
Cogitur à ſocio longiùs ire ſuo.
Coniungit, quicumq; meum diſiungit Amorem:
Tardior eſt quoties ire iubetur Amor.
Non benè conueniunt, niſi diſſocientur amantes;
Quoque reuulſa fluunt cuncta, ligatur Amor.
Forſitan illud erat quod Amans poſt omnia tandem
Vota preceſque, animi ſigna ſuprema ſui,
Iam melior, iam docta magis clamaret amanti:
Ocyùs aſpectu ſurripiende meo,
Hinc fuge mi Dilecte; citò velut incita curſu
Imminet aëreis collibus, & rapitur
Per nemora & ſaltus, per odora cacumina, montes,
Dum propè ſtet ſuperis iuncta capella plagis.
Quò magè diſiunges, magè coniungentur amantes:
Arctiùs auulſum ſtringere nouit Amor.

Dilectio ſine ſimulatione, ... gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. ad Rom. 12.

EMBLEMA XXVII.



— Vultum ſumit amantis amans.

Verecundus Amor nitore puro
Lucentis ſpeculariter metalli
Suos diſſimulat tegitque vultus,
Vt poſſit ſimilis tibi videri:
Quin & ipſe ſuis carere gaudet,
Vt tuos habeat feratque vultus.
Quæris, quid ſit Amor tuus? quod ipſe es.

Fruſtrà

Frustrà nos de Amoris nostri vultu & specie conseruandâ esse sollicitos, cùm in manu, imò vultu nostro sit, eum nobis qualem volumus exhibere.

TEïus impurum vates cupiebat amorem
  Artifici pictum conciliare manu;
Docte age pictor, ait, qualem tibi carmina dicent,
  Fac meus in tabulâ conspiciatur amor:
Aurea cæsaries vultum tegat, aurea nigris
  Prodeat ex oculis lux, oculisque micet.
Cetera, siue genas, seu labra corallina pinges,
  Pingat in intactas purpura sparsa niues.
Hactenus ille, suũ quo semper haberet amorem,
  Quæque referre piget plura, subinde dedit:
Et pictus puto risit amor, cùm vidit amorem,
  Seque sui similem denique vidit amor.
Fecerit hæc tenero persuasus carmine pictor,
  Hæc fuerit cælo iudice passus amor,
Turpis amor ? nec erit pulchrum qui pingat Amorem ?
  Et neque qui pingi se patiatur Amor ?
Da veniam; descende tuo Puer auree cælo,
  En, qui te cupiat pingere, pictor adest.
Pictor Amoris amans, Rhodiáq; magister in arte,
  Sæcula cui nullum prisca tulere parem,
Ille tuos vultus (nec erit mora longa) vel vno
  Intuitu castam transferet in tabulam;
In tabulam quam sternit ebur, quam continet aurum,
  Quam tenui serpens lumine gemma tegit:

Ille

Ille oculos tibi sidereos, frontemque serenam,
Oraque conspicuo lucidiora die,
Ille genas, & labra rosis certantia primis,
Denique te vultu pinget & ore Deum.
Fallor, an auerso refugit mea carmina vultu?
Fallor, an obductâ se quoque fronte tegit?
Quidquid id est, vel Amor tecto latet abditus ore,
Casta verecundâ lumina nube premens;
Vel certè, nec habet vultũ quem prodat amanti,
Nec geminum cari lumen amoris habet.
Falleris, inquit Amor, meus est mihi vultus amanti;
Ille tuâ pingi non tamen arte potest:
Et pingi tamen arte cupit, sed amantibus aptâ;
Pingi oculo, vultum non fugiente, cupit.
In speculo pingi ille suo, non diuitis auri
In tabulâ, speculo simpliciore cupit.
Aspice me quicumque voles me pingere, vultus
Qualis amantis erit, talis Amoris erit.
Flentis erit vultus? vultum plorantis habebo:
Rideat ille; iterùm vultus amœnus erit.
Sollicitus me spectet; ero suspensus & anceps:
Si timeat, mea mox ora timentis erunt.
Ora oculique polo si defigantur aperto,
Incipient oculi summa videre mei.
Denique si (quod amo plus omnibus) ardeat ille,
Vrar, & ipse mei testis amoris ero.
Vsque adeò optat amantis Amor sibi sumere vultus,
Vt cupiat vultum non habuisse suum.

Mutuam

Mutuam in vobiſmetipſis Charitatem continuam habentes. 1. Pet. 4.

EMBLEMA XXVIII.



——— *Reſpondet vtrimque.*

Ama, quiſquis amas; mereris omnem
Cùm tuum dederis tuis Amorem.
Ama, non amat ille, qui quod optat
Non vult in ſocium referre votum.
Ama; ſi potes, & vales, Amabis:
Ama; ſi cupis, & voles, Amabis.

Nec

Nec tantùm ſemel, & ſemel; ſed vſque
AMAbis, ter & ampliùs, magiſque,
Ac (ne quis furor impedire poſſit
Amores tot amantium, tot ignes)
Vno ſemper AMA remitte voto.

Non eſſe multis opus, vt Amor caſtus ſincerusque doceatur: fieri id poſſe per Amoris reciproci indicem vocem vnam AMA, *dignam vt rebus omnibus, ſed vel maximè hominum animis inſcribatur.*

EStis, io pueri, pudibundaque turba puellæ,
Quos meus ingenuo nomine ſignat Amor:
Vos Amor æterni præcepta docebit Amoris,
Et facili tantum voce docebit opus.
Arte graues curæ, grauior quandoque docetur
Arte dolor, petulans arte docetur amor:
Indocilis tamen ille capi, præcepta docentum
Certa etiam ingenio non patiente fugit.
O quoties odium, ſibi cùm ſponderet amorem,
Turpis amicitiæ cultor ab hoſte tulit!
Mille animis amor impurus cùm ſuggerat artes,
Se tamen hic vllâ non ſinit arte regi.
Fræna recuſantem dominæ petulantis amorem
In tribus erudiit Muſa Peligna libris;
Et manſit tamen ille rudis, miſerumque magiſtrum
Prodidit; auctorem perdidit ille ſuum.
Non libris Amor ille tribus perſuaſus amãti eſt:
Litterulis Amor hic vel tribus eſſe poteſt.

Litte-

Litterulis tribus optat Amor gaudetque doceri:
Vnica vox animum flectit amantis, AMA.
O bona vox! ô litterulis felicibus orta,
Orta tribus tantùm, sed tamen orta bonis!
Littera abest miseros condemnatura clientes;
Littera vtrimque, rei quâ recreentur, adest:
Quæ media est, dominę designat amabile nomen;
Quæ media est, casti nominis omen habet.
Fortunati apices! si quid mea carmina possunt,
Ex animis non vos auferet vlla dies:
Ex oculis non vlla dies non hora pudicis
Eximet: æternum sæpè legetur AMA.
Vnum semper AMA promittet, idemq; remittet,
Quisquis amicitiæ cultor & vltor erit.
Hostis erit mihi, quisquis AMA promittere nolet;
Si tamen hostis, AMA qui leget, esse potest.
Illud & in titulis signisque loquacibus vno
Inscriptum digito sæpè legetur AMA.
Illud & in scopulis saxisque domantibus vndam
Incisum cælo vindice stabit AMA:
Et licet huc aliquis veniat se frangere fluctus,
Immemor hic vocis non tamen huius erit:
Hanc leget, oblitusque sui venerabitur vnam,
Mitior attonitum fluctus amabit AMA.
Hostes bella gerant; noua bella geremus amantes:
Vnica vox nobis pugna duobus erit.
Hinc AMA, & inde sonabit AMA, quod amabitur vnum;
Quod simul ille suum dicet, & ille suum:
Dicet vterque suum, quod vterque remittet amanti;
Inque vicem vnus AMA dicet, & alter AMA.

Quid

Quid moror hoc, vbi densa viam myrteta coronant,
Quid moror hoc teneris scribere in arboribus,
Dux vt AMA legat, atque redux quicumque per istam
Sæpiùs ire viam, sæpè redire volet?
Quàm cupiam puro distinctum vt ludat in auro,
Vt nitido gemmæ in lumine viuat AMA!
Non adamas mihi detur, AMA nisi detur in illo;
Inque adamante meo dulce notetur AMA.
Atque vtinam summum mihi scandere detur Olympum,
Nulla vbi concussâ fulmina nube sonant;
Ventus vbi nimbique iacent; vbi subdita cælo
Otia naturæ nil metuentis agunt!
Aequoris hîc summâ mihi signaretur arenâ,
Et post mille etiam sæcula staret AMA.
Hoc oriens persæpè dies moriensque videret;
Sæpè salutatum Sol adamaret AMA.
Pulchra quidem pulchro labentis in ordine cæli
Sidera consuetis statis in excubiis;
Cur tamen his, queîs monstra micant immania, flammis
Scribere diuinum non voluistis AMA?
At certè potuistis. AMA, nisi fallor, Orion
Notus in ense suo, nec metuendus habet.
Quidquid id est, tribus astra micant insignia flammis,
Quæ mihi sæpè meum ferre videntur AMA.
Sed nihil est, animâ nisi describatur amante,
Mutuaque ingenuum vita loquatur AMA.

Charitas operit multitudinem peccatorum.
1. Petr. 4.

EMBLEMA XXIX.



——— *Puro decor omnis ab igne est.*

Nocte sis licet atrior profundâ,
Sis vmbræ similis tenebricosæ,
Fuligo mera sis, merusque fumus;
Totus vt niteas, micesque totus,
Cælo purior, albicante cælo,
Non aquâ puer indiges, sed igni.
Ignem si fugias, fugis decorem.

Non

Non esse à nobis exaggerandam adeò turpitudinem nostri corporis, & subditi peccatis, & animam ipsam suâ corruptione vitiantis; quandoquidem turpitudini omni sit in promptu remedium ab Amore.

SAepè diem tacitis noctemque implere querelis
 Me meus erepto iussit Amore dolor:
Siccine, dicebam, sic nos in sceptra reponis?
 Sic facis æthereis mentibus esse pares?
Ah nimis, à primâ collectus origine puluis,
 Pulvereâ genitos esse fatetur humo!
Puluis eras, puluisque manes mortalis; & ipsi
 Nos quoque, nos etiam puluis & vmbra sumus:
Tetra domus, domus æternę sumus hospita menti;
 Nobilis hac tantùm conditione domus,
Cetera pondus iners. Sic nos in auita remittis
 Iura Deus? similes sic facis esse tui?
Et similes nos ipse vocas? Scio mersa quòd isto
 Puluere mens aliquid Numinis intus habet:
Intereà tamen ille manet, semperque manebit,
 Qualis ab hoc terræ puluere puluis erat.
Atque vtinam semper puluis foret ille pudicus!
 Nulla nec vnda oculis lapsa subinde meis,
Lapsa nec vlla Notis terram populantibus vnda
 Cogeret hanc massam pulueris esse lutum!
Agnosco videoque meæ contagia culpæ:
 Vnda vbi facta mihi puluerulenta fuit,

Facta repentè lutum est. Hæcne apta palatia castis
Mentibus? hæc animo est apta Deoq; domus?
Non animo illa Deóve domus, non mentibus apta est:
Aeternis tantùm est ignibus apta domus.
Hæc ego; cùm tenui designans tramite cælum
Proruit ante meos fax inopina pedes.
Ante pedes tunc fortè lutum ferrumq; iacebat:
Turpe lutum, ferrum turpius illud erat:
At simul ætherei penetrabilis aura caloris
Imbuit ignitâ pondus vtrumque face;
Ferri massa, velut fuluum resplenduit aurum,
Massa luti purum facta repentè vitrum est.
Ergóne, dicebam, *casto decor omnis ab igne*
Profluat in ferrum, profluat inque lutum?
Et potero miser vsque meos plorare dolores?
Antra meæ potero puluerulenta domus
Aeternùm plorare? Cinis non tergitur vndâ:
Plus etiam affusis hic vitiatur aquis;
Igne opus est. Meus ignis Amor; sed missus ab alto,
Missus ab æthereo vertice castus Amor.
Ille animo scelerisque notas & signa peracti,
Ille vel ipsa simul crimina tollet Amor.
Igne lutum fit agente vitrum, ferrumque fit aurum;
Sed fieri cælum hoc corpus Amore potest,
Et fieri mens ipsa Deus. In Amore recusas
Viuere? nec cælum nec Deus esse potes.

Translati

Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte. 1. Ioan. 3.

EMBLEMA XXX.



— *Extincto vitam parit ardor amanti.*

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Promittat licet ore Martiali,
Numquam Musa docebit impudica.

Amoris pretium beata vita eſt;
Et vitæ pretium eſt Amor beatæ.
Amor, ſolus Amor paritque vitam;
Amor, ſolus Amor fugatque mortem.
Hic eſt vnus,vt omnia auferantur,
Vitam qui faciat beatiorem.

Solo igne, calore & Amore viuere omnia ac vigere; morti proinde debitum eſſe eum qui non amet.

INter odorati cineres, ſua buſta, ſepulchri
Vnica per mortem viuere fertur Auis:
Viuere fertur Auis; ſed Amore, ſed ignibus illis,
Quos oculo arridens Sol animante facit.
Vitam tollit Amor,ſed ademptã vt reddat amanti;
Vt melior caſto funere viuat amans.
Ecce fatiſcentes vbi iactat inutilis alas,
Et ſenio feſſos vix trahit ipſe pedes;
Ocyùs ex humili proreptat in ardua terrã,
Ocyùs in montes nititur aëreos:
Balſameaſque ſuper ſtipulas & odora recumbens
Cinnama, Phœbeos emicat ad radios.
Hîc verſat ſeſe ipſe, ſacro dum proximus igni
Sentiat æthereas incaluiſſe faces.
Ardet amans Phœnix, flammâque ſuperſtite gaudens,
Præmia ſupremi cara doloris habet.
Iam cinis eſt: cinis hic puro ſed rore coactus,
Vitalique noui Solis Amore calens,
Vitam iterùm,& vegetos Phœnicis amabilis artus,
Induiturque alas, induiturque pedes;

In-

Induiturque oculos,oculos ab amoribus ortos;
Induiturque nouum solis ab igne caput.
Igne micant oculi,cor amoribus emicat ardens;
Corque oculique sui numen Amoris habent.
Nullus eras Phœnix,nisi si moriturus amasses;
Ni foret ardori victima vita tuo,
Ni fecisset Amor, iam te natura careret,
Nec nisi vilis adhuc puluis & vmbra fores.
Nunc age, festiuas age finde volatibus auras;
Pande serenatis plumea vela Notis:
Quóque vales, quid possit Amor, sermone loquentem
Audiat extremis vltima terra plagis:
In vitam me castus Amor transuexit amantem.
Sic amet,ingenium quisquis Amoris amat.
Non sunt,crede mihi, non sunt in Amore dolores.
Si quis erit, minimo cedet Amore dolor.
Hæc rediuiua loquatur auis? & Amore carentes
Portet adhuc vacuo frigida terra sinu?
Omnia Amore vigent; & nos vigeamus Amore.
Est aliquid,nullo posse dolore mori.
Aspicis vt socio vitam sibi sumat ab igne,
Qui nisi cum socio iam moriturus erat?
Aspicis vt iunctis carbonibus emicet ignis?
Lugeat amissâ solus vt ille face?
Lugeat, & miseri portans insigne doloris,
Sordidulâ vitam proroget in tunicâ,
Languentem vitam? numquam Phœbeïa laurus
Clara,vel augustis torquibus apta foret,
Transuersùm sociæ nisi iuncta fideliter vni
Spargeret illustres viuida tota faces.

Vnanimes, animosq́ue facit concordia: vitam
Splendoremq́ue sui nominis addit Amor.
Cùm semel in siluis ab amicâ stirpe recisa
Virgula sollicitæ matris amore caret,
Deficit (heu!) moritura etiam; nisi prouidus illam
Cultor in irriguum transferat inde solum:
Vel, sociante vt Amore iterùm coalescere possit,
Inserat articulis, arbor amica, tuis.
Virgula subducto moritura fuisset Amore,
Viua sed accepto rursus Amore fuit.
Vnda, licet sit pura, licet sit amabilis vnda;
Nil tamen antè noui viua decoris habet,
Quàm quis in hac Narcissus amans spectarit amantem,
Se mediumq́ue illis insinuarit Amor.
Tunc & Narcisso similis, tunc viua videri,
Tunc etiam viuo pulchrior vnda potest.
A vegeto vita & vitæ decor omnis Amore est:
Hoc sine, si qua manet vita, pudenda manet.
Viuidus ad Solem fuerat qui fractus ad imbrem
Flosculus, ex ipso surrigitur tumulo,
Atq; animos ab Amore, animos sibi sumit ab igne.
Vitam à Sole nouo mortua sumit apis:
Quin etiam (quis credat?) Amor adamãtis inertes
Deriuat vitæ nonnihil in paleas,
Et iubet admisso simul vt lætentur Amore,
Vt cupiant socio semper Amore capi.
Igne lucerna carens quid habet nisi signa sepulchri?
Igne micans, animo est apta lucerna meo.
Debemus morti quodcumque negamus Amori.
Te cita ne rapiat mors, tueatur Amor.

Per-

Perfecta Charitas foras mittit timorem.
1. Ioan. 4.

EMBLEMA XXXI.



——*Timor fugit omnis amantem.*

Cùm tam ſit facilis, tibiq́ue nótus,
Tam parabilis, omnibuſq́ue promptus,
Nullius metuens Amoris ignis;
Quo tandem (licet ambules per ipſos
Horrorum trepidantium pauores)
Quo tandem poteris timore vinci?

Nibil esse metuendum Viatori illi quem palàm prætensus Amor, etiam in discrimina, comitetur.


ANtè manus quàm casta facem præferret amanti,
Præsidioque mihi viuidus esset Amor;
Sæpè quidem volui patriâ vagus ire relictâ
In loca securo non adeunda pede;
Sæpè sed à patriâ vetuit timor ire relictâ
In loca vel tuto prætereunda pede.
Gætulus fortasse leo, fortasse leæna
Obsidet incautum prætereuntis iter:
Quis mihi tunc coràm spectanti talia sensus,
Tantus in absentem si cadit inde metus?
Tutiùs ignotis viuam regionibus exsul,
Tutiùs à patriis sedibus exsul agam;
Quàm pauidos interque metus interque dolores
Dicar inhumanis præda relicta feris.
Hæc ego, cùm nullus rigido foret vsus Amoris,
Nulla foret manibus credita flamma meis.
Postquam castus Amor, postquam mihi credita flamma est,
Viua etiam puero credita flamma mihi,
Iuimus intrepidi, mediæ per inhospita noctis
Iuimus: adducto fugit Amore metus:
Prima (mei potior fuerat quæ causa timoris)
Venit in occursus dira leæna meos;
Mox Lybicis leo Gætulus properauit ab antris;
Grandior hic rictu, sæuior illa oculis:

Iam-

Iamque propinquabant, manibus cùm prodita nostris
Perculit immanes flamma benigna feras.
Intremuit timor ipse meo perstrictus Amore:
Fugit ad ardores vis inimica meos.
Protegit audentes Amor, insanumque timorem
Protinus indecori cogit abire fugâ.
Ite rates ventis quò vos rapit aura secundis,
Oceani tumidis fluctibus ite rates;
Ite leues, properate rates: iuuat horrida vobiscum
Aequora & irati bella videre maris:
Bella quidem timeo; patriâ tamen vrbe remotus
Exsilij timeo plus quoque damna mei.
Exsul vt hic moriar? pudet ô! vos saxa, procellæque
Horribiles, ponti fluctibus implicitum
Frangite me, æquoreisque vorandum apponite monstris.
Quid loquor? Insanus suggerit illa metus.
Non timet hæc secura ratis, quia sidus amicum
E mediis illi fluctibus exoritur;
Ostenditque domos patrias, litusque beatum;
Aethereoque sacrum lumine pandit iter.
Lux Amor est, sacer ignis Amor: quæ ducitur illo,
Abduci nullo vita timore potest.

Mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum. 1. Ioan. 4.

EMBLEMA XXXII.



— Socio se totum impendat Amori,
Quisquis amat, spectatque Deum. —

Si tuo socio, tuoque fratri,
Quem virtus amat, inuides Amorem,
Frustrà te Deus ipse tam benigno
Complexu fouet, ambiensque totum
Lacertis sociantibus coronat.
Sanctum non videt æstimátve Numen,
Viso qui valet inuidere fratri.

Nec

Nec affici nec contineri Deo posse, amicè qui proximo suo non afficiatur, ostenditur exemplo figuræ oualis, cuius omnes radij ab uno polorum ducti, ad circumferentiam secundùm leges opticas in polorum alterum reflecti debent.

AD GEOMETRAS.

RES mihi vobiscum est, quorum labor actus in orbem
Immensæ votum cognitionis habet:
Quos licet æterno remoretur circulus anno
Hactenus impatiens indocilisque regi;
Regula docta tamẽ, magni per inhospita mundi,
Ambiguâ incertos non sinit ire viâ.
Vos animæ, illustres animæ, verique capaces,
Me, precor, in vestrum ne prohibete nemus:
In nemus, ingenuis vbi scripta leguntur arenis,
Iuris Aristoteles quæ velit esse sui:
In nemus, æternis vbi signa educta figuris
Cortice perpetuo nobilis arbor habet:
In nemus, arcanis vbi plura videntur in vmbris,
Quàm videat pleno Lynceus ille die.
Non rudis, innocuæ veniam neq; proditor artis;
Vester, amans vestri semper, & vltor ero.
Hîc (licet inuideat qui nil videt) hîc ego noto
Carmine vobiscum pauca, sed apta, loquar.
Scitis in oualem contractus vt ambitus orbem
In duo puncta suum diuidat arte polum:
Scitis vt hæc, quacumq; sinũ speculentur amicũ,
Vt quauis illum tangere parte velint,

Inde iterùm redeant in ſe reflexa, velintque
Mutua in alternos dona referre ſinus.
Nec mora, nec requies; & eunt redeuntque viciſſim
Semper: amat ſocium punctus vterque ſuum;
Si tamen antè illum veneretur & ambiat orbem,
Si velit immenſo clauſus ab orbe capi.
Fax ſit vterque, calore alium perſtringet & igni;
Lux ſit, vtrique ſuum fundet vterque iubar.
Quin, oculus puncto geminus ſi ſpectet vtroque,
Et ſpeculum geminis orbis hic eſſe velit,
Alter vbique alium toto ſpeculabitur orbe,
Inque oculis oculus ſemper amantis erit.
Denique, quidquid amans vel erit, vel habebit, amanti
Deferet. hic ſocij luſus Amoris erit.
Nunc agite, à magno maiora docebimur orbe;
Orbe, cui ſimilis vel Deus eſſe poteſt;
Orbe, ſed in noſtrum qui proclinatus Amorem
Quà licet adductum ſtringit vtrimque latus;
Noſque, velut geminos tenerè complexus amantes,
Quemlibet alterno cogit amore capi.
Et potes hunc ſpectare Deum mortalis? amare
Hunc potes? & fratris non memor eſſe potes?
Non illi ſeruire, tuoſque impendere nutus?
Non totum fratri te ſociare tuo?
Non dare quidquid habes? Socium qui neſcit amare,
Non habet, aut habitum non amat ille Deum.

Multi-

Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna. Actor. 4.

EMBLEMA XXXIII.



— *Anima est animis concordibus vna.*

Concordes animâ reguntur vnâ;
Amantes animâ reguntur vnâ.
Vnâ, sed Superis Deoque notâ
Concordes animâ loquuntur omnes,
Amantes animâ loquuntur omnes.
Concors si quis amansque nescit esse,
Non vult viuere, non habere mentem.

Decla-

Declaratur Apologo, quemadmodum Dei Verbum Christus IESVS,*in ſolatium ouium quæ perierunt domus Iſrael, Fideles ex gentium ariditate collegerit in concordiam caſtæ Fidei, ſuo deinceps Amore & Spiritu animandos: concordes etiam nos eſſe debere, vnâ vt animâ vno de Spiritu animemur.*

PAſtor (amate pij Paſtoris amabile nomen,
Nomen amore ſuo nobile Paſtor habet)
Paſtor, & ille tamen regni prædiuitis heres,
Paſtor, & auguſti ſpes tamen ille Patris.
Paſtor Ariſtologus fugiens cæleſtia tempe,
Amiſſas per agros quærere iuſſus oues,
Ibat egens, raptumque ſibi poſcebat Amorem;
Ibat, & illacrymans ſæpè rogabat: Vbi es?
O vbinam es mea cura? veni: meliora paraui
Paſcua, non vllo paſcua trita pede.
Hîc tu gramineo ſaturata recumbere colle,
Hîc poteris viuas carpere propter aquas,
Fragrantemq; thymum, primiq; tenerrima veris,
Qualia non alibi germina fundit humus.
Tu tantùm, ô mea cura, veni. Quid inhoſpita luſtrans
Antra, peragratum deuia fallis iter?
Quid fugiens per iniqua, tuique oblita meique,
Ah nimis ex vero iam tibi nomen habes,
Et miſeræ cognomen ouis? Non ergo fugacem
Te mouet inſtantis vis furioſa lupi?

Vt

Vt venies, ſublata meâ ceruice recumbes;
Vt venies, leue mox pondus amantis eris.
Talia dicebat lacrymans, & quolibet aruo
Mœſtus aberrantem voce vocabat ouem.
O quoties interruptis ambagibus hærens
Paſtor amans, rapto Paſtor amore dolens
Procubuit, cælumque etiam terramque rogauit,
Perdita quâ tandem parte lateret ouis.
O quoties grauis imbre, madens ſudore, famenſq;
Et ſitiens, Vbinam es? dixit, & ingemuit:
Victus amore ſuo, vocemque in verba negauit,
Quæ vagus in ventum fuderat antè dolor.
Fortè ſub aſpectum Paſtoris ad omnia proni
Venit arundineâ meſſe referta palus;
Nec procul hinc, apibus aliena in paſcua verſis,
Monſtrabant vacuas cerea caſtra domos.
Vidit; & amiſſos quo ſolaretur Amores,
Imparibus cannam ſtruxit arundinibus;
Virgineâque ſimul iungens diſcrimina cerâ,
Paſtoris tenerum fecit amantis opus.
Maxima prima fuit, minor & minor altera primis,
Septima præ reliquis fiſtula parua fuit.
Diſſimiles ætate, pares concordia fecit.
O quantum eſt iunctis mentibus ingenium!
Vos certè (quoniam vocem Paſtoris amicam
Exaudire meæ non voluiſtis oues)
Vos eritis cannæ Paſtoris amoribus aptæ:
Tu mihi, canna, animæ teſtis amantis eris.
Dixit, & admoto reſpirans dulciter ore,
Septenis animam infudit arundinibus.
Canna ſonat, *Anima eſt animis concordibus vna*;
Multiplicique idem Spiritus ore canit.

Quid

Quid canat incertum, certum eſt quòd cantet Amorem.
Septenâ ſolus voce vocatur Amor.
Hactenus errores dedimus Paſtoris amœnos,
Quæque ſuper profugâ carmina dixit oue.
Hæc modò de Phœbo ne tu vel Apollinis vmbrâ
Dicta putes, quis ſit denique Paſtor habe;
Quæq; recens ſit canna, ſuos quâ luſit Amores,
Quâque peregrinæ funera luxit ouis.
Numinis æterni Sapientia, Vox Patris, & Mens
Digna Deo, profugas quærere venit oues:
Venit; aberrantes ſed non inuenit Amores:
Quilibet ignotas exſul amabat opes.
Iuncta ſubinde fuit mulcendo canna dolori;
Canna propinquorum turba fidelis erat.
Illa ſui primum meruit Paſtoris Amorem,
Cumque Deo meruit ſæpè loquente loqui:
Oſcula diuinis meruit ſpirantia labris,
Multiplicique animam clauſa fouere ſinu.
O ego, quo tanto vixiſſem plenus Amore,
Quàm cuperem Domino canna fuiſſe meo!
Quàm cuperē ſociis coniunctus amantibus vnus,
Tantæ animæ clauſos non habuiſſe ſinus!
Sit ſterilis, ſit arundo leuis, ſit inanis; haberi
Viua tamen Domino ſic animante poteſt.
Spiritus vnus, Amorque animis concordibus vnus,
Vna anima eſt. Animos quis putet eſſe duos?
Felices, quibus vna dedit concordia vitam,
Viuite: vos animus non ſinet ille mori.
Ille animus, Deus ille animam dabit omnibus vnam:
Siquis erit vitæ finis, Amoris erit.

Quoniam

Quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcet Charitas multorum. Matth. 24.

EMBLEMA XXXIV.



——— *Nimius nocet aſtus Amanti.*

O quantum nimis inſolens amanti
Amatoque ſimul nocet Cupido!
Hinc abundat iniquitas, ſuumque
Fœdos in cineres reducit ignem:
Hinc fumus, lacrymæque, pulu͏ereſque,
Hinc odor malus. Ardeat; ſed æſtu
Ardens ne nimio obruatur Ignis.

Non

Non esse temerè vel immoderatè subijciendum Amorem rebus passim omnibus; rem enim effusè dilectam persæpè Amori ipsi, abundante ex hoc iniquitate, nocuisse.

Sit licet è cælo Superisque fauentibus ortus,
  Quo sine nil hominum vita decoris habet,
Non minùs vtendū tamen est prudenter Amore:
  Multa sibi immodicus damna parauit Amor.
Sæpè aliquis dixit: Nimius nocet ardor amanti;
  Immoderatus Amor semper vtrisque nocet.
Sæpè alius dixit: Quantum satis vtere flammâ;
  Obruit ecce suas ynda profusa faces.
Vnda tumens ab Amore suum restinguit Amorem.
  Hoc Amor ex merito munus amantis habet.
Sæpè (quis hoc credat?) nisi res dilecta fuisset,
  Cultori fuerat non nocitura suo.
Sæpè (fidem faciat leuis olla tumentibus vndis)
  Auctori nocuit vis animata suo.
Quàm benè subiectū seruasset prouidus ignem,
  Si numquam tantus promicuisset amor!
Quàm benè dilectam seruasset ab ignibus vndam,
  Vnda minore foco si calefacta foret!
Nunc vbi plus æquo exarsit temerarius ignis,
  Seque suasque simul perdidit ille faces.
Ignis abundanti tandem fuit obrutus vndâ;
  Vnda subacta suo nec minùs igne fuit.
Ecce quid è tanto modò restet amantibus igne,
  Fumus iners, trepidus puluis, iniquus odor.

Huc

Huc recidit pretiosus Amor. Qui duceris igne,
I, sed in igne tuo fac moderatus eas.
Nec quiduis neque semper ames: violentus amorem
Perdit, amatorem perdit & ille suum.
Tuque adeò (nisi me fallant diuina, tuisque
Consiliis alius subiiciatur Amor)
Tuque adeò Deus ipse nimis nos semper amasti:
Creuit ab immenso noster Amore furor.
Te sibi subiectum quia sensit inutilis vnda,
(Vnda sumus flammis nos, sed iniqua, tuis)
Intumuitque, suumque super se effudit Amorem,
Seque suumque simul perdidit illa Deum.
Hinc tuus ille dolor, qui iam successit Amori,
Hinc tuus extincto natus Amore dolor:
Hinc lacrymæ, hinc gemitus, hinc illa nouissima verba,
Vulnera quæ cordi tanta dedere meo:
Exaltauit Amor natos meus, extulit ignis;
Ignibus elati sed nocuere meis.
Mersus Amor meus est, nimiumque tumentibus vndis
Obrutus, immodici testis amoris erit.
Disce puer, primis cui feruet amoribus ignis,
Subiectoque tumens sanguis ab igne calet:
Disce puer quid agas; vndæ si subditur ignis,
Vnda tumet, tumidâ mergitur ignis aquâ.
Non caro, non sanguis, non carne aut sanguine iuncti
Igne satis modico sat potuere capi.
Vidimus vndanti similem bullire cruorem,
Cui modicus tantùm subditus ignis erat:


Vidimus

Vidimus exundare, suamque extinguere flammam,
Et simul infami conditione mori.
Sæpè odium fit iniquus Amor. Vis semper amando
Ardeat, & damnum non patiatur amor?
Seruiat ille Deo. Cælo qui subditur ardor,
Nec nimis ardor amans, nec satis esse potest.

Dilectus

Dilectus meus mihi, & ego illi. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Cant. 2. & 7.

EMBLEMA XXXV.



——— ——— *Cælo, non solo.*

Contemnas licet, & calumnieris,
Quòd vultus renuam meos videri;
Inuites licet, atque blandiaris,
Vt vultus patiar meos videri:
Nequidquam; neque me tamen videbis:
Soli nam cupio placere Soli;
Soli nam cupio placere Cælo.

Ostenditur

Ostenditur Prosopopœiâ Lunæ, periculosum esse Fideli animæ, si illa haustum Cælo ardorem rebus terræ vilissimis obuertat, quem Cælo & Soli debet.

NOn ego lucis inops, videar licet indiga lucis;
Non ego sum, quamuis dicar, Amore carens.
Testis Amor meus est, qui me spectatq;, videtq;,
Quemque ego nunc etiam cominus intueor
Ardentem cælo. Nihil est malefida quòd optes
Ardores iterùm terra videre meos:
Ille meos nouit, qui me sibi vindicat, ignes;
Spectat iure suo quas dedit ille faces.
Atque vtinam, ô tellus, numquam tibi pulchra viderer,
Eriperérque oculis semper amœna tuis!
Non ego tunc sanctæ paterer dispendia flammæ;
Non ego tunc rapto turpis Amore forem.
Telluri placuisse nocet: me nuper amantem
Viderat hæc plenâ promicuisse face;
Viderat obuersum rebus mortalibus ignem;
Viderat, & vultus senserat illa meos.
Ecce tibi horrendam subitò compellor in vmbram;
Hîc lucem illa meis surripit ex oculis.
Hîc tribus, heu frustrà! lugentem detinet horis;
Hîc propè me viduo cogit Amore mori.
O ego tunc quoties terræ fallacis Amorem
Questa fui! at nimiùm sera querela fuit.
O quoties dixi: Quid opus fuit illa videret
Pulcher amore meo qui mihi vultus erat?

Plena decoris eram; plenum ſed amata decorem
Quem modò terra mihi ſuſtulit,ipſa tulit.
Quis mihi,qualis eras,quis te mihi reddat amantem,
Quis tibi, qualis eram , me quoque reſtituat,
O frater? quid enim ſine te conſumor in vmbris
Frater? at heu oculis frater adempte meis!
Vbera tu certè ſugis communia nobis,
Et mare nos pleno lactat vtroſque ſinu;
Et fouet, & gemino rorem ſubmittit amanti,
Quo meliùs noſter conſpiciatur Amor.
O malè cuſtoditus Amor! Crudelè querentem
Talia, vix tandem me meus eripuit
Telluri dolor atque timor. Sol rurſus amantem
Me videt, atque oculos Sol habet ipſe meos.
Terra vale: feror ecce meo rurſum obuia Soli;
Altaque conſector ſidera, terra vale.
Hîc ego Solq; meus nos contemplabimur ambo;
Mutuus hic gemini fructus Amoris erit:
Illi ego & ille mihi totum ſe credet amanti:
Non alius noſtri teſtis Amoris erit.
Sol mihi teſtis erit, quòd amem ſine compare ſolum:
Soli ego, me quòd amet, teſtis & auctor ero.
Inuideas nunc terra licet: duo ſola gemellis
Nos oculis videant lumina, & hoc ſatis eſt.

Oſtenditur Proſopopœiâ Lunæ, periculoſum eſſe Fideli animæ, ſi illa hauſtum Cælo ardorem rebus terræ viliſſimis obuertat, quem Cælo & Soli debet.

NOn ego lucis inops, videar licet indiga lucis;
Non ego ſum, quamuis dicar, Amore carens.
Teſtis Amor meus eſt, qui me ſpectatq;, videtq;,
Quemque ego nunc etiam cominus intueor
Ardentem cælo. Nihil eſt maleſida quòd optes
Ardores iterùm terra videre meos:
Ille meos nouit, qui me ſibi vindicat, ignes;
Spectat iure ſuo quas dedit ille faces.
Atque vtinam, ô tellus, numquam tibi pulchra viderer,
Eriperérque oculis ſemper amœna tuis!
Non ego tunc ſanctæ paterer diſpendia flammæ;
Non ego tunc rapto turpis Amore forem.
Telluri placuiſſe nocet: me nuper amantem
Viderat hæc plenâ promicuiſſe face;
Viderat obuerſum rebus mortalibus ignem;
Viderat, & vultus ſenſerat illa meos.
Ecce tibi horrendam ſubitò compellor in vmbram;
Hîc lucem illa meis ſurripit ex oculis.
Hîc tribus, heu fruſtrà! lugentem detinet horis;
Hîc propè me viduo cogit Amore mori.
O ego tunc quoties terræ fallacis Amorem
Queſta fui! at nimiùm ſera querela fuit.
O quoties dixi: Quid opus fuit illa videret
Pulcher amore meo qui mihi vultus erat?

Plena decoris eram; plenum ſed amata decorem
  Quem modò terra mihi ſuſtulit,ipſa tulit.
Quis mihi,qualis eras,quis te mihi reddat amantem,
  Quis tibi, qualis eram, me quoque reſtituat,
O frater? quid enim ſine te conſumor in vmbris
  Frater? at heu oculis frater adempte meis!
Vbera tu certè ſugis communia nobis,
  Et mare nos pleno lactat vtroſque ſinu;
Et fouet, & gemino rorem ſubmittit amanti,
  Quo meliùs noſter conſpiciatur Amor.
O malè cuſtoditus Amor! Crudelè querentem
  Talia, vix tandem me meus eripuit
Telluri dolor atque timor. Sol rurſus amantem
  Me videt, atque oculos Sol habet ipſe meos.
Terra vale: feror ecce meo rurſum obuia Soli;
  Altaque conſector ſidera, terra vale.
Hîc ego Solq; meus nos contemplabimur ambo;
  Mutuus hic gemini fructus Amoris erit:
Illi ego & ille mihi totum ſe credet amanti:
  Non alius noſtri teſtis Amoris erit.
Sol mihi teſtis erit, quòd amem ſine compare ſolum:
  Soli ego, me quòd amet, teſtis & auctor ero.
Inuideas nunc terra licet: duo ſola gemellis
  Nos oculis videant lumina, & hoc ſatis eſt.

Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Cant. 5.

EMBLEMA XXXVI.



—— *Spirante liquescit Amore.*

Cor ipso tibi durius metallo,
Ferro durius, aridoque saxo
Contractis licet horreat medullis;
Vno si tamen impotens moueri
Cor tangatur Amore, si vel vno
Cor affletur Amore, colliquescet.
O quantum est animi beatioris!
Quid felicius eminentiusque est,
Quàm casto rigidum calore solui!
Quàm nullo pauidum timore stringi!
Res est libera amare, res beata est.

Igne

Igne omnia solui docet anima castis Amoribus resoluta, nec minorem vim Amori esse quàm igni; præsertim si illum os dilecti gratiosè loquentis afflauerit.

FOrtè aliquis, nostrum qui non benè nouerit ignem,
Cui dubium nostri lumen Amoris erit,
Fortè meo sterilem se credet Amore futurum,
Aridaque ingenuâ corda futura face:
Quippe lutum, mollisque leui quæ diffluit vndâ,
Denique Sole tamen dura rigescit humus.
Instar aquæ liquidum est, quod non calet ignibus ouum;
Quod calet, admotâ stringitur ecce face.
Non ego vera tibi, quæ sunt manifesta, negabo.
Durentur flammis oua lutúmque suis;
Haud equidem inficior: sed enim quàm multa calore
Sint licet illa priùs dura, soluta fluunt?
Dura etiam, primis perstricta caloribus vnda,
Protinus in liquidas ire iubetur aquas.
Cera calore fluit: soluuntur ab igne metalla:
Soluitur in purum terra perusta vitrum.
Nil adeò rigidū est quod non mollescere possit,
Si modò sollicitam conferat ignis opem.
Ipse cinis, cinis exhaustis res vltima rebus,
Extremum flammæ deficientis opus,
Ipse etiam in riguam cinis extenuabitur vndam,
Viuidus hunc agili si coquat igne calor.
Quid, quòd & in cælos ignis dominabitur ipsos,
Quantumuis fuso stent velut ære graues;

Stent adamãte licet, stent marmore, stẽt licet auro,
Aut etiam his si quid durius esse potest.
Hæc calor; his sed plura meus facit ardor amanti.
Igneus & calidæ est conditionis Amor.
Quin etiam, tenui quamuis Amor ardeat igne,
Ardet vt exiguâ parca lucerna face;
Ille tamen quoties Amor ora corallina iungit,
Osculaque adstrictis fingit amica labris,
Et loquitur, cor Amore statim dissoluitur, & iam
Guttatim liquidæ diffluit instar aquæ.
Quis tantùm modicâ solui putet æra lucernâ?
Liquuntur modicâ sed tamen æra face;
Æra fluunt, gracili si fax tamen æstuet ore.
Non faciunt animis ora soluta meis;
Oscula dant flammam: flammâ cor aduritur illâ,
Et fluit. ô quantum est oscula casta pati!
Segnis eram, saxóque etiam constantior omni;
Cerea diuino facta sed igne fui:
Marmor eram sterilisq; cinis; sed Amore loquẽte,
Nix ego diuino facta calore fui.
Sunt lacrymæ testes: Amor est mihi testis amanti,
Soluere hic in lacrymas saxa vel ipsa potest.
Durius & saxis nihil est, & mollius igne;
Igneus ipsa tamen saxa resoluit Amor.
Omnia soluit Amor: cur te non soluit amantem?
Nullus Amore suo durior esse potest.
Certè etiam tanto si durus abuteris igne,
Turpe opus est illi te fateare lutum.
Soluat, & in vultus Amor ora refingat amicos,
Vt fluit in vultus cera soluta nouos:
Tunc poteris redamare meo cognatus Amori;
Tunc etiam poteris scire quid optet Amor.

Amore

Amore langueo. Cant. 5.

EMBLEMA XXXVII.



Qui me amat, exanimat.

Nemo nos, quòd Amore langueamus,
Quòd cor palpitet, ora contrahantur,
Imbelles putet esse, vel remissos,
Nemo nos putet esse delicatos.
Numquam fortior est magisque constans,
Quàm cùm languet Amans Amore victus.

Cælestium Amore licet subinde langueat homo viator; ideò tamen eum neglecto procedendi studio in viâ abiici non debere: Amoris esse, quem exanimarit, illum iterùm & robustiùs animare.

AEstus erat, summasque dies contraxerat vmbras;
Sol mediâ cæli parte receptus erat.
Hactenus ire labor; dolor est modò longiùs ire;
Languidus à nimio Sole viator ait.
Dixit, & exiguâ proiectus in arboris vmbrâ,
Exsilij cœpit commeminisse sui,
Et patriæ meminisse: dolor succensus Amore est;
Caussa duplex miserum fecit amantis iter.
Igneus haud aliter post longa pericula vates,
Victus ab igne suo denique procubuit,
Optauitque mori. Niniuen sic fessus Iōnas
Fronde sub arboreâ vidit, & ingemuit
Fato vrbis, fatoque suo: languebat vterque,
Fractus vt hic nimio Sole viator agit.
Ille humeris vtrem numeris leuioribus aptum,
Dulce viatori fortè ferebat onus:
Hoc aliquid (quoniam in tenui consedimus vmbrâ,
Otiaque indomitus præcipit illa dies)
Hoc aliquid, sine teste tamen, cantabimus, inquit,
Spiritus hic musæ testis amantis erit.
Dixerat, & tumidū stringens complexibus vtrem,
Datque, iterumq; animam prodigit inde suam:

Corque

Corque inter cubitumque premens animatque, iterumque
Exanimat: pressus carmina reddit Amor:
Et quamquam retinere animã conetur amantis,
Quo canat ille tamen exanimatus habet.
Iam scio, dicebat, quid sit quòd Amore vicissim
Ipse animorque meo semper, & exanimor,
Langueoque, exspiransque animæ leue pondus amicæ
Cogor ab alterno semper Amore pati.
Mecum ludit Amor: per me sua carmina cantat;
Quamque dedit vitam, tollere gaudet Amor.
Ecce etiam flores (medios hi fortè per æstus
Languiduli & vitæ deficientis erant)
Ecce suis etiam flores ab amoribus ipsi
Deficiunt, flammis intereuntque suis:
Ecce cui debet vitamque animamque calori,
Pænè suam debet flosculus ille necem.
Sol tener hunc nuper gemmantibus extulit herbis,
Et sibi propitium iussit amare diem:
Nunc validus, rabidique calens ardoribus astri,
Sol iubet indomitum pænè timere diem.
Certè animam exspirare iubet, pronoq; dolentem
Ore fatigatum flectere in ima caput.
Sol animat, Sol exanimat sed rursus amantem.
Sol Amor ille meus, Sol mihi solus Amor.
Ille dedit vitam, vitam ille recepit amicam:
Viuidus alterno funere gaudet Amor.
Langueo nunc sed Amore: meus complexibus hisce
Sic vter extremam languet agens animam;

Nec tamen indignatur agens: qui preſſit amantem,
Dulcia pro meritis verba dolentis habet.
Languidus ecce canit, vitámque animámque relinquens,
Reddit amatori vota ſuprema ſuo.
Et querar ipſe meo propè quòd conſumptus Amore
Exſul inoſtenſum carpere cogor iter?
Segnis aberrantes ſectabor amaſius vmbras?
Et cupiam ardori ponere iura meo?
Aude Anime, & te crede tuo generoſius Amori:
Qui fugit hunc, ſummum non amat ille diem.

Aquæ

Aquæ multæ non potuerunt extinguere Charitatem. Cant. 8.

EMBLEMA XXXVIII.



Iuuat vnda flammam. ———

Vndas horreat, obruatur vndis
Quem terrâ genitum videmus ignem:
Vndas non timet, excitatur vndis,
Vndis paſcitur, & fouetur vndis,
Sole ſi quis Amor parente gaudet,
Cælo ſi quis Amor parente gaudet.

Animæ cælum amanti non metuendas, imò optandas esse tempestates & fluctus aduersitatis humanæ; quandoquidem his diuinus Amor non extinguitur, sed fouetur.


QVid mihi, quò tandē reddatur inutilis ignis?
  Quid mihi, quò patiens emoriatur Amor?
Quid mihi de cælo validos furor obiicis imbres?
  Quid paris vndanti flumina vasta solo?
Non, etiam si quidquid aquæ superincubat astris,
  Quidquid aquæ toto fluctuat Oceano,
Quidquid inaccessis terrarum bullit in antris,
  Euomat in flammas ira proterua meas,
Extinguatur Amor. Mediis Amor ardet in vndis;
  Si tamen à casto Sole sit ortus Amor.
Natus ab immundæ telluris amoribus ignis,
  Ignis humi sparsis editus à paleis,
Sæpè licet modicis fugiens extinguitur vndis;
  Sæpiùs affusis extenuatur aquis.
Si furor exundet, tabiésque doloris iniqui
  Depluat in tenues flumina larga faces,
Emoritur terrenus Amor, pauidúsque recedit,
  Quò minimus profugum iusserit ire dolor.
Non ita, qui Superis descendit ab ignibus ignis,
  Non ita, qui cælo vindice gaudet Amor,
Non ita restinguetur Amor: vehementior ille
  Aestuat, & rigidis sæpè fouetur aquis.
Sol Amor est: micat æquoreis Sol maior in vndis,
  Et iacit ignitas fortior inde faces.

Pascitur

Paſcitur inter aquas generoſus & emicat ignis:
Hic ſuus ex merito quemque tuetur Amor.
Exiguis imbellis aquis reſtinguitur ignis:
Hic ſuus ex merito quemque relinquit Amor.
Vidi ego cùm flammam glacies retineret alendam,
Vt fouet acceptam cera ſoluta facem:
Vidi ego, frigoribus cùm flumina dura iacerent,
Iuſſa fuiſſe ſuo buſta fouere ſinu:
Et ſimul, O! dixi, quis non locus ignibus aptus,
Viuida ſi rigidis flamma tenetur aquis?
Vnda parit flammas, flammas alit vnda propinquas;
Non alia æthereus paſcua quærit Amor.
Ecce per obiectas phialæ tranabilis vndas,
Per liquidas vitri lenè micantis aquas,
Sol videt arentem radiis, ſed amantibus, herbam:
Et ſimul ignitas ſuſcipit herba faces.
Sol dedit, vnda datos ſed in vnum compulit ignes:
Sol flammæ cauſſam præbuit, vnda modum.
Hæc ego ſi primis ſciuiſſem doctus ab annis,
Sciuiſſem tales ignibus eſſe vias;
Non ego tam longo iacuiſſem frigidus æuo,
Qualis in hibernâ planta recumbit humo.
Nubila ferte Noti, pluuias ſuſpendite cæli,
Iam ſatis æthereis terra natauit aquis,
Dicebam; Soliſque faces ſentire volebam,
Neſcius his aptas imbribus eſſe faces.
Nunc precor in me omnes effundat Aquarius vndas:
Hoc meus in ſigno fortiùs vret Amor.

Fortis est vt mors dilectio. Cant. 8.

EMBLEMA XXXIX.



A morte tenacius hærent.

Qui mortem fugit, anxiiſque vitæ
Extremum metuit ſubire fatum,
Fatalémque timet ſubire terram,
Non eſt fortis Amor. Subinde viuus
Amor fluctuat hinc & inde, ſummo
Qui conſtans potuit manere caſu.

Certum

Certum & constantem Amorem esse non posse, nisi ipsa mors fortem hunc esse probauerit.

CVncta licet soluat, mors nulla resoluet amantes:
Vltima, si memini, vox morientis erat;
Vox erat illa animis simul exspirantibus vna.
Sic conspirantes quis putet esse duos?
Felices in Amore animi!quid amantibus optem,
Omnia si summo fata dedere die?
Sed tamen optabo,pauci quòd amantibus optant,
Semper in interitu viuat vterque suo.
Vitam alij cupiant, vos mortem optate. Probari
Fortis Amor certâ non nisi morte potest.
Sæpè tener studiis amor à iuuenilibus ortus
Viuit,& in mores diffluit inde nouos;
Et dici tamen optat Amor, gaudétque videri,
Qui plus insani sæpè doloris habet.
Stabat in apricis arbor pulcherrima campis,
Alteraque arbor huic coniugis instar erat:
Florebántque ambæ, foliisque sequacibus ambæ
Nectebant gemino frondea serta libro:
Vna suos,paritérque suos dabat altera fructus;
Hinc Amor atque illinc officiosus erat.
Quin etiam teneris iungebant brachia ramis,
Brachia in amplexus ingeniosa suos:
Hinc quoties tacitâ rorabant sidera nocte,
Humida ab alternis vtraque erat lacrymis.
Hactenus ista palàm: sed quid concordibus annis
Nata sub irriguâ fecerit arbor humo,


Dicite, naturam vos qui nouiſtis Amoris;
Dicite vos, animus non capit iſta meus.
Viuite io (geminis aliud quis amantibus optet?)
Exſuperate meos arbuta caſta dies:
Exſuperate, & amate : pium certamen amantum eſt:
Non niſi Amoris inops inuidus eſſe poteſt.
Sic ego tunc : quantò meliùs ſed carmine verſo
Optaſſem votis omina digna meis;
Quàm benè dixiſſem : Tam caſto in amore ſupremum,
Dum bona vos iungunt fata, ſubite diem.
Ecce (nec hoc dudum eſt, ſunt viſa nouiſſima nobis)
Sæuior Aeoliâ venit ab arce Notus;
Venit,& arboribus nihil obluctantibus inſtans,
Alteram ab alternâ iuſſit abire fide:
Quippe nimis faciles, nec adhuc conſtanter amantes
Mollis & euerti ſueta tenebat humus.
Si ſteriles illæ, ſterilis terra illa fuiſſet;
Aduerſos poterat nulla timere Notos:
Vtraque Amore ſuo poterat ſecura teneri;
Et ſimul æternam iuncta tenere fidem.
Non virides amo,non animi petulantis amores,
Non fluxum ſtudio ſe variante bonum:
Morte obitâ firmatur Amor. Philomela videri
Optabat citharæ dulcè canentis amans:
Quoque ſuum meliùs conteſtaretur amorem,
Ibat in auditum deliciosa melos:
Iamq; ſuos gemitus cum ſingultante reſorbens,
Flebat ad offenſæ carmina mœſta lyræ;

Mox illâ plaudente simul plaudebat: amantis
  Denique vox citharæ vox animantis erat.
Et poterat, nisi fallor, amans Philomela videri;
  Non tamen ipsa sibi visa fuisset amans,
Victima victrici citharæ nisi lapsa fuisset,
  A sociâ posthac non abitura chely.
Namque fides inter citharæ quâ parte loquentis
  Peruia formandis cantibus ora patent,
Intrò lapsa fuit; talique illapsa sepulchro est,
  Quale sibi tandem quilibet optet amans.
Sic amet omnis amans, sic immoriatur Amori:
  Morte Amor ipse suâ fortior esse potest.

Nunc

Nunc autem manent, FIDES, SPES, CHARITAS, *tria hæc: maior autem horum est Charitas*. 1. Cor. 13.

EMBLEMA XL.



— *Mansurum cælo transscribit Amorem Spes sociâ contenta Fide.* ———

Iam plusquam satis est superque factum,
Iam plusquam satis est superque dictum,

Fides,

Fides, Spes, & Amor. Valete tandem
O vitæ comites beatioris:
Tuque, ô præcipui decus laboris
Immortalis Amor, vale; tuumque
(Quò procedere nunc & ire tentas)
Vale & vade perambulare cælum.
Et vos, Spesque Fidesque, vos Amori,
Quod solum rogat, inuidetque nulli,
Vos, concedere quod potestis illi,
Vos quò tendere non potestis ipsæ,
Vnum ne precor inuidete cælum.

Amoris per Fidem & Spem in cælos transscripti ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ.

HActenus emeritæ tria per discrimina vitæ
Spemque Fidemque suam est vsque secutus Amor,
Fidus Amor, speratus Amor. Discedite nubes,
Vltimus in cælos nunc Amor ire parat;
In cælos, vbi solus agat, maiorque videri
Possit, & immenso proximus esse Deo.
Tuque adeò quamquam ampla tui solatia luctus
Exsul ab agnato ducis Amore Fides,
Spesque, tuo licet ipsa etiam ducaris Amore,
Et soleas iunctâ pulchrior esse face;
Deproperate meum tamen in sublimia votum,
Illud amans vestri nec graue pondus erit.
Dum loquor, ecce velut subitis impulsibus acta
Anchora subtensam laxat vtrimque Fidem;
Laxat, & emissum cælo transscribit Amorem,
Exsilijque iubet non meminisse sui:

Iam-

Iamque solum superauit Amor; iam nubila vicit;
Sidera iam post se prima reliquit Amor:
Vidit, & occursu Sol delectatus amico,
Obtulit vrgendas signa per alta rotas.
Et fecisset Amor, nisi si maiora vocarent,
Ni mallet stabilem certus adire Deum.
Ergo subit stellis firmatum ardentibus orbem:
Stella ibi non vmquam pulchrior vlla fuit.
Sic Amor has inter, flammas vt Luna minores,
Emicat; astrorum lumina vincit Amor.
Denique (nec mora longa citum tardauit Amorem)
Aureus in Superûm sede recumbit Amor:
Hic cælum tenet atque Deum, totoque receptus
Numine, promeritæ iura quietis habet.
Viuat, & his olim, si quid pietate meremur,
Casibus ereptum nomen ad astra ferat.
Intereà, vos exsilij duo pignora nostri,
Tu Spes, tuque tuâ Spe religata Fides,
Vos eritis testes, vos quæ nouistis Amorem,
Quòd meus est, illic qui modò viuit Amor;
Quòd meus, inde humilem qui iam quoque despicit orbem;
Quòd meus est qui fors me modò nescit Amor.
Sed satis est, quòd notus Amor mihi creditur vni:
Quòd meus ille meâ creditur esse Fide.

EPI-

EPILOGVS
AVCTORIS AD LECTOREM
ET
MVSAM MANV-IAM-MITTENDAM.

IAmq́; opus exegi; nec adhuc me pœnitet acti:
Est aliquid voti summa videre sui.
Sit licet extremus stadioq́; nouissimus omni,
Meta fatigato sed tamen vna placet.
Iussum opus exactum est: acto gratare labori
Musa per vndenos vsque secuta pedes.
Gratulor, à siccis quòd tandem libera campis,
Libera Socratico quòd potes ire iugo,
Gratulor ipse tibi. Iam qui te sumat alendam,
Fons alibi vena fertilioris erit:
Vade, alios colles aliosq́; require colonos,
Obsequio tandem libera Musa meo:
Vade, nec inuideo; sed cur abitura relinquis
Omina pro meritis inuidiosa meis?
Quid canis, innocui quæ non meruere Libelli,
Funera post vnum fors metuenda diem?
Astyanactis amat, refugit qui Nestoris annos:
Sæpiùs inuidiam vita senilis habet.
Magna repentina fuerint solatia mortis,
Funeris expertem posse perire sui.
Ille potens & lætus agit, qui qualibet horâ
Non immutatâ dicere fronte potest:
Viximus. hora mihi si fors neget altera vitam,
Posterior votis ingruet illa meis.
Sic opus incepi: quod si lux proxima natum,
Proxima vel luci nox abolere paret,

Cedi-

Cedimus; & vano ſubducimus arma dolori.
Cedimus: hac noſtri ſumma laboris erit.
Ventilet aura Fidem, Spem ſubruat vnda ſubactam,
Ipſe ſuo patiens igne crematur Amor;
Terna tribus ſimul inuideant elementa Libellis,
Vltima ſaltem illis terra fidelis erit:
Hac, monumenta meo faciet ſuprema labori;
Hac, monumenta ſuo condet amica ſinu:
Quin etiam ſummâ tria verba notabit arenâ
(Hac ſaltem in pretio verba viator habe)
Hîc Amor, hîc Spes ſacra, Fides hîc ſana recumbunt:
Sic cupiunt animo fixa manere tuo.
Fixa tenes? Iam perde meos fortuna Libellos;
Non renuunt tali conditione mori.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

ERRATA.

Paginâ 89. *lin.* 3. *poſt* de mente tantâ *fiat interpunctio.*
Pag. 125. *lin. pænult.* rece ditâ, *lege* recedit à.
Pag. 264. *lin.* 4. quàm, *lege* quem.
Pag. 304. *lin. pænult.* hoſtibus, *lege* ſontibus.
Pag. 344. *lin.* 1. blanditiis deliciiſque, *lege* blanditiiſque deliciîſque.

Summa Priuilegij Cæsarei.

FERDINANDI II. Diuinâ fauente clementiâ electi Romanorum Imperatoris semper Augusti Diplomate cautum est; nequis intra Romani Imperij & Regnorum ac Dominiorum suorum hereditariorum fines, Soc. IESV Patrum Opera citra consensum eorumdem Patrum & Auctorum desuper obtentum imprimere, vel recudere, aut alibi recusa inferre aut vendere præsumat. Qui secùs faxit, præter Librorum omnium confiscationem, viginti marcharum auri puri pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in Diplomate dato Viennæ die IV. Augusti, M. DC. XXVI.

Signat.

FERDINANDVS.

Petrus Henricus à Stralendorff.

Ad mandatum Sac. Cæs. Maiestatis proprium,

Hermannus à Questenbergh.

Facultas R. P. Prouincialis.

EGo infrascriptus Soc. IESV per Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi factâ ab admodum Reuerendo P. Mutio Vitellesco Societatis nostræ Præposito Generali permitto, vt Emblemata P. Guilielmi Hesij eiusdem Societatis Sacerdotis typis euulgentur; & vt iuxta Priuilegium Cæsareum Societati nostræ concessum soli Balthasari Moreto Antuerpiensi Typographo eadem imprimere & vendere liceat. In cuius rei fidem has manu meâ subscriptas officij mei sigillo muniri curaui. Ipris, XXII. Septembris, M. DC. XXXVI.

Fredricus Tassis.

Sum-

Summa Priuilegij Regis Catholici.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Guilielmi Heſij Antuerpienſis è Societate* IESV *Emblemata ſacra de Fide, Spe, Charitate*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra annos duodecim imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in Diplomate dato Bruxellæ XXVIII. Aprilis, M. DC. XXXVI.

Signat.

Steenhuyſe.

Approbatio Cenſoris.


REuerendi Patris Guilielmi Heſij è Societate IESV Emblemata ſacra de Fide, Spe, Charitate, cum ſingulari eruditione coniunctam habent præclaram morum pietatiſq; inſtitutionem, quæ poëticâ ſuauitate condîta tanto ſuauiùs animis influit. Quare bono publico edentur in lucem. Antuerpiæ, Nonis Aprilis, M. DC. XXXVI.

Gaſpar Eſtrix S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerp. Librorum Cenſor.


LABORE ET CONSTANTIA

Nunc autem manent, FIDES, SPES, CHARITAS, *tria hæc: maior autem horum est Charitas*. 1. Cor. 13.

EMBLEMA XL.



— *Mansurum cælo transscribit Amorem*
Spes sociâ contenta Fide. ———

Iam plusquam satis est superque factum,
Iam plusquam satis est superque dictum,

Fides,

Fides, Spes, & Amor. Valete tandem
O vitæ comites beatioris:
Tuque, ô præcipui decus laboris
Immortalis Amor, vale; tuumque
(Quò procedere nunc & ire tentas)
Vale & vade perambulare cælum.
Et vos, Spesque Fidesque, vos Amori,
Quod solum rogat, inuidetque nulli,
Vos, concedere quod potestis illi,
Vos quò tendere non potestis ipsæ,
Vnum ne precor inuidete cælum.

Amoris per Fidem & Spem in calos transscripti ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ.

HActenus emeritæ tria per discrimina vitæ
Spemque Fidemque suam est vsque secutus Amor,
Fidus Amor, speratus Amor. Discedite nubes,
Vltimus in cælos nunc Amor ire parat;
In cælos, vbi solus agat, maiorque videri
Possit, & immenso proximus esse Deo.
Tuque adeò quamquam ampla tui solatia luctus
Exsul ab agnato ducis Amore Fides,
Spesque, tuo licet ipsa etiam ducaris Amore,
Et soleas iunctâ pulchrior esse face;
Deproperate meum tamen in sublimia votum,
Illud amans vestri nec graue pondus erit.
Dum loquor, ecce velut subitis impulsibus acta
Anchora subtensam laxat vtrimque Fidem;
Laxat, & emissum cælo transscribit Amorem,
Exsilijque iubet non meminisse sui:

Iam-

Iamque solum superauit Amor; iam nubila vicit;
Sidera iam post se prima reliquit Amor:
Vidit, & occursu Sol delectatus amico,
Obtulit vrgendas signa per alta rotas.
Et fecisset Amor, nisi si maiora vocarent,
Ni mallet stabilem certus adire Deum.
Ergo subit stellis firmatum ardentibus orbem:
Stella ibi non vmquam pulchrior vlla fuit.
Sic Amor has inter, flammas vt Luna minores,
Emicat; astrorum lumina vincit Amor.
Denique (nec mora longa citum tardauit Amorem)
Aureus in Superûm sede recumbit Amor:
Hic cælum tenet atque Deum, totoque receptus
Numine, promeritæ iura quietis habet.
Viuat, & his olim, si quid pietate meremur,
Casibus ereptum nomen ad astra ferat.
Intereà, vos exsilij duo pignora nostri,
Tu Spes, tuque tuâ Spe religata Fides,
Vos eritis testes, vos quæ nouistis Amorem,
Quòd meus est, illic qui modò viuit Amor;
Quòd meus, inde humilem qui iam quoque despicit orbem;
Quòd meus est qui fors me modò nescit Amor.
Sed satis est, quòd notus Amor mihi creditur vni:
Quòd meus ille meâ creditur esse Fide.

EPI-

EPILOGVS
AVCTORIS AD LECTOREM
ET
MVSAM MANV-IAM-MITTENDAM.

IAmq́; opus exegi; nec adhuc me pœnitet acti:
Est aliquid voti summa videre sui.
Sit licet extremus stadioq́; nouissimus omni,
Meta fatigato sed tamen vna placet.
Iussum opus exactum est: acto gratare labori
Musa per vndenos vsque secuta pedes.
Gratulor, à siccis quòd tandem libera campis,
Libera Socratico quòd potes ire iugo,
Gratulor ipse tibi. Iam qui te sumat alendam,
Fons alibi vena fertilioris erit:
Vade, alios colles aliosq́; require colonos,
Obsequio tandem libera Musa meo:
Vade, nec inuideo; sed cur abitura relinquis
Omina pro meritis inuidiosa meis?
Quid canis, innocui quæ non meruere Libelli,
Funera post vnum fors metuenda diem?
Astyanactis amat, refugit qui Nestoris annos:
Sæpiùs inuidiam vita senilis habet.
Magna repentinæ fuerint solatia mortis,
Funeris expertem posse perire sui.
Ille potens & lætus agit, qui qualibet horâ
Non immutatâ dicere fronte potest:
Viximus. hora mihi si fors neget altera vitam,
Posterior votis ingruet illa meis.
Sic opus incepi: quod si lux proxima natum,
Proxima vel luci nox abolere paret,

Cedi-

Cedimus; & vano ſubducimus arma dolori.
Cedimus: hac noſtri ſumma laboris erit.
Ventilet aura Fidem, Spem ſubruat vnda ſubactam,
Ipſe ſuo patiens igne crémetur Amor;
Terna tribus ſimul inuideant elementa Libellis,
Vltima ſaltem illis terra fidelis erit:
Hac, monumenta meo faciet ſuprema labori;
Hac, monumenta ſuo condet amica ſinu:
Quin etiam ſummâ tria verba notabit arenâ
(Hac ſaltem in pretio verba viator habe)
Hîc Amor, hîc Spes ſacra, Fides hîc ſana recumbunt:
Sic cupiunt animo fixa manere tuo.
Fixa tenes? Iam perde meos fortuna Libellos;
Non renuunt tali conditione mori.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

ERRATA.

Paginâ 89. *lin.* 3. *poſt* de mente tantâ *fiat interpunctio.*
Pag. 125. *lin. penult.* rece dità, *lege* recedit à.
Pag. 264. *lin* 4. quàm, *lege* quem.
Pag. 304. *lin. penult.* hoſtibus, *lege* ſontibus.
Pag. 344. *lin.* 1. blanditiis deliciiſque, *lege* blanditiiſque deliciîſque.

Summa Priuilegij Cæsarei.

FERDINANDI II. Diuinâ fauente clementiâ electi Romanorum Imperatoris semper Augusti Diplomate cautum est; nequis intra Romani Imperij & Regnorum ac Dominiorum suorum hereditariorum fines, Soc. IESV Patrum Opera citra consensum eorumdem Patrum & Auctorum desuper obtentum imprimere, vel recudere, aut alibi recusa inferre aut vendere præsumat. Qui secùs faxit, præter Librorum omnium confiscationem, viginti marcharum auri puri pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in Diplomate dato Viennæ die IV. Augusti, M. DC. XXVI.

Signat.

FERDINANDVS.

Petrus Henricus à Stralendorff.

Ad mandatum Sac. Cæs. Maiestatis proprium,

Hermannus à Questenbergh.

Facultas R. P. Prouincialis.

EGo infrascriptus Soc. IESV per Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, pro potestate mihi factâ ab admodum Reuerendo P. Mutio Vitellesco Societatis nostræ Præposito Generali permitto, vt Emblemata P. Guilielmi Hesij eiusdem Societatis Sacerdotis typis euulgentur; & vt iuxta Priuilegium Cæsareum Societati nostræ concessum soli Balthasari Moreto Antuerpiensi Typographo eadem imprimere & vendere liceat. In cuius rei fidem has manu meâ subscriptas officij mei sigillo muniri curaui. Ipris, XXII. Septembris, M. DC. XXXVI.

Fredricus Taffis.

Sum-

Summa Priuilegij Regis Catholici.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, ac Potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *Guilielmi Heſij Antuerpienſis è Societate* IESV *Emblemata ſacra de Fide, Spe, Charitate*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo intra annos duodecim imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in Diplomate dato Bruxellæ XXVIII. Aprilis, M. DC. XXXVI.

Signat.

Steenhuyſe.

Approbatio Cenſoris.

REuerendi Patris Guilielmi Heſij è Societate IESV Emblemata ſacra de Fide, Spe, Charitate, cum ſingulari eruditione coniunctam habent præclaram morum pietatiſq; inſtitutionem, quæ poëticâ ſuauitate condîta tanto ſuauiùs animis influit. Quare bono publico edentur in lucem. Antuerpiæ, Nonis Aprilis, M. DC. XXXVI.

Gaſpar Eſtrix S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerp. Librorum Cenſor.


LABORE ET CONSTANTIA